B I B L I O T H E C A
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
T E V B N E R I A N A

BT 2008

PHLEGON TRALLIANVS

OPVSCVLA
DE REBVS MIRABILIBVS
ET
DE LONGAEVIS

EDIDIT

ANTONIO STRAMAGLIA

DE GRUYTER

ISBN 978-3-11-024597-4
e-ISBN 978-3-11-023905-8
ISSN 1864-399X

Library of Congress Cataloging-in-Publication Data

Phlegon, of Tralles.
Opuscula de rebus mirabilibus et de longaevis / Phlegon Trallianus ; edidit Antonio Stramaglia.
p. cm. – (Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana)
Includes bibliographical references and index.
ISBN 978-3-11-024597-4 (alk. paper)
ISBN 978-3-11-023905-8 (eBook)
I. Stramaglia, Antonio. II. Title.
PA4273.P3 2010
398.20938 – dc22
2010037620

Bibliografische Information der Deutschen Nationalbibliothek

Die Deutsche Nationalbibliothek verzeichnet diese Publikation in der Deutschen Nationalbibliografie; detaillierte bibliografische Daten sind im Internet über http://dnb.d-nb.de abrufbar.

© 2011 Walter de Gruyter GmbH & Co. KG, Berlin/New York

Druck: Hubert & Co. GmbH & Co. KG, Göttingen
∞ Gedruckt auf säurefreiem Papier

Printed in Germany

www.degruyter.com

PRAEFATIO

1. DE PHLEGONTIS OPVSCVLORVM ΠΕΡΙ ΘΑΥΜΑΣΙΩΝ ET ΠΕΡΙ ΜΑΚΡΟΒΙΩΝ FACIE AC MATERIA

De Phlegonte Tralliano, doctissimo Hadriani liberto[1], haec prodit Suidae lexicon (φ 527 [IV 744, 25 – 745, 3 Adler] = *FGrHist* 257 T 1): Φλέγων Τραλλιανός· ἀπελεύθερος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος[2] (οἱ δὲ Ἀδριανοῦ φασιν)· ἱστορικός. ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις ιϛʹ – ἔστι δὲ μέχρι τῆς σκθʹ ὀλυμπιάδος [a. 137–140 p.C.n.] τὰ πραχθέντα πανταχοῦ· τὰ δὲ αὐτὰ ἐν βιβλίοις ηʹ· Ἔκφρασιν Σικελίας· Περὶ μακροβίων καὶ θαυμασίων· Περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις ἑορτῶν βιβλία γʹ· Περὶ τῶν ἐν Ῥώμῃ τόπων καὶ ὧν ἐπικέκληνται ὀνομάτων· Ἐπιτομὴν Ὀλυμπιονικῶν ἐν βιβλίοις βʹ· καὶ ἄλλα. ex his omnibus aut nihil prorsus aut pauca tantum apud alios laudata plerumque supersunt; unus codex Heidelbergensis Palat. Gr. 398, a. 850–880 exaratus (**P**: vd. §§ 2–4), haec nobis servavit:
- ff. 216r–234v: φλέγοντος τραλλιανοῦ ἀπελευθέρου καίσαρος περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων (sic habet subscriptio: f. 234v, 25–6; periit inscriptio);
- ff. 234v–236r: φλέγοντος ἀπελευθέρου ἀδριανοῦ καίσαρος περὶ τῶν ὀλυμπίων (sic habet inscriptio: f. 234v, 30–1; deest subscriptio in f. 236r).

Textus alter nihil aliud est quam initium mutilum[3] magni illius operis, quod Ὀλυμπιάδες (vel Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγή, vel Χρονικά) inscribebatur, cuius fragmenta complura

1 De Phlegonte in universum vd. nuperrime Fein 193–9, [Schepens-] Delcroix 430–3; alia suo loco laudabuntur.

2 Ad hoc erratum explicandum vd. Diels 2 adn. 1, Weber 94 adn. 313.

3 Immo tractationis principium, cui praepositum esse debuit prooemium nunc deperditum: vd. Christesen 332.

exstant (*FGrHist* 257 F 1–34)[4]. maioris nobis momenti est scriptum prius, Περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων. ut in Suida, sic et in **P** de uno opere duas res tractante prima facie agi videtur; at Suidas et codex versa inter se vice θαυμάσια ac μακροβίους praebent, et, si ipsum **P** inspicias, videas in eodem quidem versu (f. 230r, 31) mirabilia desinere et longaevos incipere, nequaquam autem tractationem alteram cum priore iungi. nempe duo distincta opuscula – alterum Περὶ θαυμασίων, alterum Περὶ μακροβίων – haec plane sunt, quamquam in unum apud Byzantinos (nisi iam antea) conflata: quod ita se habere confirmat antiquissimum testimonium Diogenis Laertii (1, 111 = Phleg. *long.* fr. 1), qui de Phlegonte ἐν τῷ Περὶ μακροβίων scribente loquitur.

Opusculum Περὶ θαυμασίων principio caret, cum unus quaternio e **P** ibi exciderit; perisse hoc modo non parvam operis partem colligere licet (vd. § 2). quae exstant liquide monstrant auctorem sibi instituisse mirabilia multifaria conquirere ad (solum) hominem pertinentia. insunt enim:

I. capp. 1–3: mortui quidam inter vivos paulisper reversi aliaque prodigia cum his apparitionibus conexa;
II. capp. 4–35: mirabilia varia ad humanam naturam spectantia:
  a. 4–10: ἀνδρόγυνοι; feminae in mares versae;
  b. 11–9: maiora quam quae hominibus conveniant ossa fortuito reperta[5];
  c. 20–31: partus varie prodigiosi; matres mire prolificae;
  d. 32–3: pueri statim senescentes et sim.;
  e. 34–5: ἱπποκένταυροι.

4 De huius scripti reliquiis fuse disseruit nuperrime Christesen 326–34 (327–8 de variis modis quibus opus inscribebatur); Id. 520–3 ostendit haudquaquam sufficere argumenta ut pro lacertis e Phlegontis *Olympiadum* epitoma habeamus et P.Oxy. II 222 (*FGrHist* 415) + XXIII 2381, et P.Oxy. XVII 2082 (*FGrHist* 257a).

5 Cap. 13, in quo de statua colossea agitur, «[n]ur lose fügt sich» (Mesk 298 adn. 1) in hanc seriem.

Universi scripti terminus post quem est a. 116 p.C.n. (cf. cap. 9 et appar.[1] ad loc.); quanto post hunc annum temporis spatio confectum sit opusculum, elici nequit[6]. initium narrationis, quae prima asservatur (cap. 1), in quaternione supra dicto una cum aliquot superioribus capitulis periit (vd. infra, § 2); capituli 1 portio deperdita aliquatenus nihilominus redintegratur ex eiusdem narrationis summario in Procli commentariis ad Platonis *Rem publicam* facto (II 116, 2–17 Kroll; vd. appar.[1] ad cap. 1). ceterum capp. 1–3 persimilem inter se structuram fusumque narrandi genus exhibent[7], et eorum lingua est κοινή q.d. «aetatis [H]ellenisticae eiusque labentis»[8]. unde probabile apparet ex quodam Hellenistico historiarum fabularium florilegio capp. 1–3 Phlegontem hausisse, immo paene descripsisse[9], neque eum auctores his tribus capitulis praepositos ante oculos habuisse, sed ex isto florilegio secunda tantum manu cognovisse[10]. aut ex eodem florilegio aut ex illius deinceps fontibus pendere videtur etiam Proclus, vel potius Naumachius ille Epirota, alioquin ignotus, a quo fatetur Proclus se quattuor historias de 'redivivis' sumpsisse (*in Plat. remp.* II 115, 7 – 116, 17 Kroll; cf. ibid. 329, 4ss.); quarum duae cum Phlegonte (*mir.* 1–2; vd. appar.[1] ad locc.) conveniunt quidem, non tamen ex eo manaverunt – ut e quibusdam dis-

6 Falsis omnino fundamentis Klein[b] 134–5 voluerat terminum post quem a. 150 p.C.n. e cap. 9 colligere.

7 Ut primus perspexit Rohde 183–5; de universa re vd. quae alibi digessi ac disserui (Str.[c] 368 adn. 1; 370–1 adn. 12; 409–10 adnn. 14–9).

8 Wendland 10; exemplorum copiam ipse collegi (Str.[b] 200–30 passim; Str.[c] 241 adn. 7).

9 Perpauca Phlegon de suo mutasse videtur, velut – ni fallor – in cap. 2, ubi deest forma illa epistularis, quam hanc historiam fabularem primitus exhibuisse testatur Procl. *in Plat. remp.* II 115, 7–15 Kroll (vd. Str.[c] 56 adn. 165; 366–7 adn. 1; 387 adn. 8).

10 Post Rohde 184–5 et Wendland 8–10 vd. Str.[c] 55–8, ubi caute praeterea conieci Hellenisticum illud florilegium cum Delphico oraculo fortasse conexum fuisse. negant talem fontem Hellenisticae aetatis umquam exstitisse, parum validis tamen nisi argumentis, Janda 347–8 et Gauger[a] 228–30 adn. 13; omnino aliter fontium necessitudines explicat Ferrary 260–3 (non recte, ut puto).

crepantiis elucet –, sed unde Phlegon ipse hauserat plane effluxerunt[11].

Res longe aliter se habent in capp. 4–35. hic omnia breviter nulloque ornatu perhibentur, ita ut non de genuina Phlegontis opera, sed de epitoma ex ea coacta in his capitulis agi nonnumquam putatum sit[12]. patet autem capp. 1–3 nullam excerptoris manum passa esse: cur cetera tantum operis pars ad textum breviandum allicere debuit? re vera paradoxographi q.d. admodum simplici rapidoque stilo uti consueverant, et hunc ipsum plane stilum adhibuit Phlegon in capp. 4–35[13] (necnon in opusculo *De longaevis*, ut mox videbimus): in quibus non iam unum fontem fusas narrationes continentem exscripsit, ut in capp. 1–3 fecisse videtur, sed multa variaque mirabilia ex omnifariis fontibus[14] – cum Graecis, tum Latinis[15] – hausta concise protulit. in hac altera opusculi parte non modo auctores (plerumque raros vel alioquin ignotos) Phlegon crebro prodit, sed etiam singulorum miraculorum tempora ad amussim saepe indicat, et aliquando (capp. 9; 34–5) se αὐτοψίᾳ fructum esse profitetur. multo liquidius quam in capp. 1–3, patet in capp. 4–35 quale fuerit Tralliani nostri eloquium, cui mire accommodantur quae Photius in opus de Olympiadibus iudicavit: ἔστι δὲ (sc. Phlegon) τὴν φράσιν οὔτε λίαν χαμαιπετὴς οὔτε τὸν Ἀττικὸν ἐς τὸ ἀκριβὲς διασῴζων χαρακτῆρα (*bibl.* 97, 84a, 35–7 = *FGrHist* 257 T 3, 5). quanti hoc sit ad textum constituendum, suo loco patebit (§ 6).

Paulo post verba modo allata reprehenditur a Photio in Phlegontis *Olympiadibus* ἡ περὶ τοὺς χρησμοὺς ἄκαιρος φιλοπονία τε

11 De Naumachio Epirota, deque ratione inter Proclum/Naumachium et Phlegontem intercedente, vd. Str.[c] 63–7; 386 adn. 1.

12 Post Bergk 17, Musso[a] 5–9, al., et ipse hoc olim credideram (Str.[b] 193; mox cautius Str.[c] 56 et adn. 162).

13 Vd. Str.[c] 56 adn. 162 post [Schepens-]Delcroix 426–8; 432.

14 De quibus vd. universe Ziegler 1157–8, Giannini[a] 129 n. 187, Pajón Leyra 454–61; et singillatim appar.[1] ad locc.

15 Sapienter de hoc disserit Pajón Leyra 460. nusquam in *mir.* expressis verbis fatetur Phlegon se vel opera vel documenta Latine scripta ante oculos habuisse, sed vd. e.g. appar.[1] ad *mir.* **603–5**.

καὶ φιλοτιμία, εἰς κόρον ἀπάγουσα τὸν ἀκροατήν: nempe Phlegon χρησμοῖς… παντοίοις ἐς ὑπερβολήν ἐστι κεχρημένος (*bibl.* 97, 84a, 39 – 84b, 2 = *FGrHist* 257 T 3, 5). haec ad universa Tralliani opera reapse spectant: nam non solum illius Ὀλυμπιάδες (cf. *FGrHist* 257 F 1, 6–10), sed etiam scripta Περὶ θαυμασίων (capp. 2; 3; 10), Περὶ μακροβίων (cap. 6), Περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις ἑορτῶν (*FGrHist* 257 F 40, 6), necnon fortasse Περὶ τῶν ἐν Ῥώμῃ τόπων καὶ ὧν ἐπικέκληνται ὀνομάτων[16], omnimodis vaticiniis adeo inferciuntur, ut Phlegon aliquando non prosa oratione, sed velut «prosimetria oracolare»[17] usus esse videatur. eminent, inter omnia, oracula in *mir.* 10 prodita, quae genuinae veterum librorum Sibyllinorum reliquiae esse pleno iure censentur, etsi obscura manet via qua ad Phlegontem pervenerunt (vd. appar.[1] ad loc.).

Quaenam insequentis opusculi Περὶ μακροβίων cum scripto Περὶ θαυμασίων fuerit cognatio satis patet: sicut cetera θαυμάσια in priore opere congesta, ita et longaevitas in altero libello explorata miraculum quoddam est ad hominem pertinens, ideoque investigatione et collectione dignum[18]. nulla praefatione apposita, exorditur

16 Ad hoc opus, nonnisi in Suidae lexico commemoratum (φ 527 [IV 745, 1–2 Adler] = *FGrHist* 257 T 1; vd. supra, V), Voit 319 probabiliter rettulit scholium plane antiquum, Phlegontis editoribus ignotum, quod in Titi Livi cod. Laur. 63, 19 (saec. X), f. 163v in margine legitur: *Minutia virgo Ves<talis>, minutioris primo suspecta cultus moxque flagitii servo accusante convicta, ad portam Collinam viva defoditur* [a. 337 a.C.n.] *locusque Sceleratus ex eo ca<m>pus dictus; miror autem, cum defossam indicat, omisisse illum* [sc. Liv. 8, 15, 7–8] *ex libris Sibillinis* (*-imis* cod.) *hoc esse praeceptum, ut legisse me in ipsis apud Flegontem temporis istius versibus recolo* (ed. Billanovich 110–1; vd. Voit 310–1; 318–20, Pecere 67–9 et adnn., Oakley I 168). potuit alioquin scholiasta, nisi tractatum Περὶ τῶν ἐν Ῥώμῃ τόπων, Phlegontis magnum opus chronographicum de Olympiadibus in mente habere: nempe consimile aliud chronicon eiusdem defossae Vestalis mentionem facit (Anon. *FGrHist* 255, 6; vd. Oakley II 576).

17 Cf. Str.[a] 221–3.

18 Cf. Bertolotto 260–1: «Per Flegonte… i longevi costituivano una data categoria di fatti maravigliosi: … è appunto nella *straordinaria longevità*

auctor declarans se e tabulis censoriis nomina eorum proditurum esse, qui in Italia centesimum vitae annum se adeptos censui edixissent. census videtur esse quem a. 73–4 p.C.n. Vespasianus et Titus fieri decreverunt (vd. appar.[1] ad *long.* **3–5**, **52–69**); quod si ita est, annus 74 p.C.n. fit universi opusculi terminus post quem. quae post exordium exstant haec sunt:

I. cap. 1 (de longaevis centesimum aetatis annum adeptis):
  a. nr. 1–46: longaevi quidam regionis VIII Italiae;
  b. nr. 47–68: longaevi quidam e tribus imperii provinciis (Macedonia, Ponto et Bithynia, Lusitania);
II. cap. 2 (101–110 aetat. ann.):
  a. nr. 69–78; 82–90: longaevi quidam regionis VIII Italiae;
  b. nr. 79–81: tres (plus minusve) celebres Graeci longaevi;
III. cap. 3 (110–120 aetat. ann.):
  a. nr. 91–3; 95: longaevi quidam regionis VIII Italiae;
  b. nr. 94: longaeva quaedam regionis IV Italiae;
IV. cap. 4 (130–140 aetat. ann.):
  a. nr. 96: longaevus quidam regionis VIII Italiae;
  b. nr. 97: longaevus quidam regionis IV Italiae;
V. cap. 5 <140–150 aetat. ann.>: nr. 98: Arganthonius, fabulosus Tartessorum rex;
VI. fr. 1 <ultra 150 aetat. ann.>: Epimenides Cretensis;
VII. cap. 6, 1–2: nr. 99: Sibylla Erythraea extremam suam conquerens senectutem mortemque oraculo sibi praedicens; eiusdem oraculi interpretatio;
VIII. cap. 6, 3: Sibyllae oraculum saeculare q.d.

Nonnulla omnino perierunt, velut tota tractatio de longaevis a 120 usque ad 130 aetatis annos (vd. appar.[2] ad *long.* **113**). quae supersunt valde mutila corruptave sunt[19]: eo facilius id plane evenit, quod opusculum non aliud crebro fit quam mera nomina enumerata,

che egli trovava il *lato maraviglioso* da sfruttare per il suo… lavoro»; et fuse Pajón Leyra 185–8.

19 Sed cavendum ne cogitemus «dass im Palatinus nur Excerpte [sc. opusculi Περὶ μακροβίων] vorliegen» (Wachsmuth 237 adn. 2): vd. mox infra et denuo supra, VIII cum adn. 12.

eaque Graecis auribus saepe difficilia. etiamnunc nihilominus perspicimus tres plerumque fontes a Phlegonte adhibitos esse:

1. tabulas census a. 73–4 p.C.n. facti (vd. supra) ~ I.a–b, II.a, III.a, IV.a in conspectu nuper adumbrato;
2. αὐτοψίαν (vd. appar.[1] ad *long.* **3–5**, **111**, **111–3**, **116–8**) ~ III.b, IV.b (et cf. nr. 95) in conspectu;
3. opus aliquod de longaevis qui (praesertim in Graecia) maxime innotuerunt ~ II.b, V, VI in conspectu.

Quod ad 3. spectat, iamdiu constat laterculos de nr. 79–81; 98 (vd. appar.[1] ad *long.* **83–4**, **85–91**, **119–21**) cum iis artissime concinere, quos de iisdem longaevis praebet auctor opusculi q.i. Μακρόβιοι (§§ 18; 22; 10), sub Luciani nomine falso – ut vid.[20] – traditi. de necessitudine inter Phlegontem et [Lucianum] intercedente diu disputatum est; ipse iis plurimis adstipulor, qui utrumque ex eodem communi fonte hausisse censent[21]. ignotus hic fons quaepiam fuit videlicet ex iis tractationibus de humanae vitae spatiis (extremis), quarum reliquias servant, praeter [Lucianum], loci velut Plin. *nat.* 7, 153–64, Val. Max. 8, 7; 8, 13, Censorin. 17, 3–4[22]. ex eodem ignoto opere derivasse puto etiam quae de Epimenide Phlegon perhibet (*long.* fr. 1, **203–5**): de hoc longaevo nihil quidem habemus apud [Lucianum], sed Phlegontis laterculus arte conspirat cum Plinio et Valerio Maximo de Epimenide inter longaevos tractantibus (vd. appar.[1] ad *long.* **203–8**), quos Romanos auctores ex iisdem fontibus ac [Lucianum] plus semel pendere[23] iamdiu demonstratum est[24].

De extrema opusculi parte (VII–VIII in conspectu supra proposito), quoad fontes, perpauca adicere licet. Sibyllae querulum oraculum eiusque interpretamentum (cap. 6, 1–2) satis diffusa inter

20 De historia quaestionis vd. Bompaire 17.

21 Vd. praesertim Rühl 422–3, Kunzmann 7–8; 9; 45–6, Schmid-Stählin II.2 738, Bompaire 19.

22 Vd. Bertolotto 259–67, Wachsmuth 237–8, Ranucci, Reychman-Lee, Bompaire 18–9, Parkin 106–10.

23 Etsi per tramites intermedios, potius quam recta via: cf. Ranucci.

24 Cf. Bertolotto 262–3.

antiquos fuerunt (vd. appar.[1] ad *long.* **122–3**, **125–46**), sed unde Phlegon haec deprompserit minime patet. item de insequenti oraculo saeculari (cap. 6, 3) dicendum, quod adhuc latius innotuit (cf. infra, § 5 et appar.[1] ad *long.* **157–63**, **164–201**) et e multis variisque fontibus a Phlegonte hauriri potuit.

2. DE CODICIS **P** NATVRA ET STRVCTVRA. DE TEXTVS HISTORIA INDE COLLECTA

Phlegontis opuscula Περὶ θαυμασίων et Περὶ μακροβίων minime nota inter antiquos fuisse videntur: prioris scripti nulla certa mentio exstat, alterius una tantum apud Diogenem Laertium (1, 111 = *long.* fr. 1)[25]. prima dumtaxat facie opus utrumque obruit oblivio usque ad saec. IX, cum instructus est codex qui et Phlegontis et aliorum multorum reliquias solus nobis tradidit: Palatinum Graecum 398 (**P**) dico, in bibliotheca Universitatis Heidelbergensis asservatum. pertinet **P** agmini illi librorum manuscriptorum, quod 'collectio philosophica' vulgo nuncupatur. duodeviginti tales codices ad hunc diem innotuerunt, quorum artissima inter se cognatio, «su base paleografica, testuale e codicologica»[26] demonstrata, arguit hos

25 Testimonium incertum quidem, sed mentione prorsus dignum, praebet titulus *IGSK* XI.1 22. in hoc longo decreto, a Nysaeorum civitate sub Antonino Pio facto, legitur inter alia (A 16–9) Technitarum Romae sanctuarium donatum esse βιβλίοις θαυμαστοῖ[ς] a liberalissimo T. Aelio Alcibiade (*PIR²* A 134, in calce), qui filius fuit – nisi nos omnia fallunt – P. Aelii Alcibiadis illius (*PIR²* A 134), Hadriani cubicularii, cui Phlegon opus suum de Olympiadibus dedicaverat (Phot. *bibl.* 97, 83b, 25–7 = *FGrHist* 257 T 3, 2). ut Robert[a] 45–53 (cf. Robert[c] 16–8) validis argumentis coniecit, βιβλία illa θαυμαστὰ Phlegontis opera fuisse, atque in iis libellos Περὶ θαυμασίων et Περὶ μακροβίων suum locum habuisse, veri simile est, etsi demonstrari nequit; utpote cum Nysa et Tralles – altera Alcibiadum, altera Phlegontis patria – in Caria ambo eaeque conterminae essent.

26 Ronconi[b] 36.

omnes libros Constantinopoli exaratos esse annis 850–880[27]. complures plane docti operam ad scribendum navaverunt, sed tali inter se concertatione ut totum opus uno consilio non a scribarum turba, sed a doctorum circulo perfectum videatur[28]. praefuit huic circulo doctissimus aliquis Byzantinus nobis ignotus[29], qui sua manu nonnullos 'collectionis' codices exaravit, inter quos totum (cf. § 3) Palatinum nostrum.

Codicis structuram nuperrime dilucidavit mirabili cura atque acumine Philippus Ronconi[30]. h.l. ea tantum repetam, quae ad rem nostram faciunt. est **P** codex membranaceus (mm 241/252 x 167/171[31]), miscellanea 'primaria' q.d.[32] continens: nam sex[33] quidem partibus constat e compluribus exemplaribus descriptis, sed universum opus uno tempore conceptum est eoque ipso consilio, ut singu-

27 Ad 'collectionem philosophicam' cognoscendam viam optime aperit Perria[b], ubi quae ad illum diem viri docti contulerunt accuratissime digesta invenies; mox vd. praesertim Marcotte[a] CXXXV–CXLIV et passim, Cataldi Palau, Rashed, Cavallo, Marcotte[b], Saffrey, Ronconi[b] (qui ceteros laudat p. 36 adn. 16).

28 Vd. Cavallo 256–9, Orsini 295–9.

29 Huic nomen dare saepius conati sunt viri docti, sed tota res in ambiguo manet: vd. nuperrime Ronconi[b] 50–3, ubi etiam status quaestionis praebetur.

30 Ronconi[b] 33–75 (cum tabb. I–VI). e superioribus memorandi sunt praecipue von Gutschmid 597–603, Marcotte[a] LXXXVIII–XCVII; CXXXV–CXLIV.

31 Metiente Ronconi[b] 33 adn. 1.

32 Ut appellatione illa utar, quam Ronconi[a] 146–7 et adn. 11 nuper proposuit.

33 Legi solet apud viros doctos von Gutschmid 601–3 primum exstitisse, qui sex partes in codice distinxerit; ille tamen (ibid.) non sex, sed septem partes inesse contendit, epistulas Hippocratis a ceteris hodiernae partis VI (vd. infra in conspectu) parum opportune separans. pleno iure, e converso, Ronconi[b] 58–60 ostendit partem III (de mythographis: vd. infra in conspectu) duabus rursus partibus reapse constare: priore [Plutarchi] scriptum Περὶ ποταμῶν et Parthenii Ἐρωτικὰ παθήματα complectente (ff. 157r–188v), altera Antonini Liberalis Μεταμορφώσεων συναγωγὴν continente (ff. 189r–208v).

lis partibus conflatis codex noster instrueretur. habuit **P** primitus circiter 390 folia; perierunt vario tempore sex fasciculi et nonnulla alia folia, ut iam supersint 321 folia[34] in 42 fasciculos (plerumque quaterniones) dispertita[35].

Quae in singulis codicis partibus hodie continentur, sic summatim adumbrari possunt:

I. geographi minores q.d. (ff. 11r–59v);
II. Strabonis Χρηστομάθειαι (ff. 60r–156r);
III. mythographi ([Plutarchus], Parthenius, Antoninus Liberalis) (ff. 157r–208v[36]);
IV. Hesychii Milesii Πάτρια Κωνσταντινουπόλεως (ff. 209r–215r);
V. paradoxographi (Phlegon, Apollonius, Antigonus) (ff. 216r–261v);
VI. collectiones epistularum viris illustribus adscriptarum (ff. 262r–331r).

Uniuscuiusque partis initium cum fasciculi rursus initio congruit. in principio verum quaterniones [α′]–[ε′] omnino perierunt, sed quae ibi continebantur servavit nobis ms. Athous Vatoped. 655 + Lond. Brit. Libr. Add. 19391 + Paris. Suppl. Gr. 443A, saec. XIV[in.]: fato enim benigno geographorum opera descripta sunt e **P** aut recta via in Vatopedinum, aut in codicem alium qui deinceps Vatopedino exemplar fuit, antequam interierunt fasciculi [α′]–[ε′][37].

Ut ad codicis partem quintam veniamus, quam fusius tractare h.l. opus est, qui primus illius fuerat quaternio ([λγ′]) omnino quoque excidit. quae post istam lacunam de paradoxographis exstant haec singillatim sunt:

34 Quibus 10 folia chartacea hodie praeponuntur, saec. XV addita.

35 Cuncta synoptice depinxit Ronconi[b] 35.

36 Vd. autem supra, XIII adn. 33.

37 Vd. fusius Marcotte[a] LXXXIX–XC; C–CVII, Ronconi[b] 34–5 (cf. 35 adn. 10: «non è escluso che il Palatino sia l’antigrafo dello smembrato codice di Vatopedi: la loro parentela è comunque resa certa dalla presenza di una lacuna testuale nel Vatopedino in corrispondenza con la caduta dei fogli II–VIII del 12° fascicolo (IB) del Palatino»).

1. Phlegontis libelli Περὶ θαυμασίων (mutilus ab initio) et Περὶ μακροβίων, velut unum continuum opus (vd. § 1) exarati (ff. 216r–234v);
2. Phlegontis operis q.i. Ὀλυμπιάδες fragmentum (ff. 234v–236r);
3. Apollonii Ἱστορίαι θαυμάσιαι (ff. 236v–243r);
4. Antigoni Ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγή, mutila a fine (ff. 243v–261v).

Ut alibi fuse exposui, initium fasciculi deperditi [λγ′] cum initio opusculi Περὶ θαυμασίων congruisse credendum est; ex quo efficitur ut 1/3 totius opusculi perierit[38]. quid autem infuit quaternioni illi [λγ′]? fuit ibi scilicet initium historiae de Philinnio e mortuis reversa, cuius maximam partem in *mir.* 1 adhuc legimus (vd. rursus supra, § 1). sed huius narrationis initium deperditum – ut item alibi ostendi – non tam productum esse potuit, ut totum quaternionem [λγ′] occuparet; ergo alia quoque perierunt[39]: quae tamen qualia fuerint, colligi nequit[40]. cetera de opusculis Περὶ θαυμασίων et Περὶ

38 Vd. Str.[b] 194–6.

39 Liceat mihi iterare quae aliquot abhinc annos scripsi: «Attraverso il sunto di Proclo [*in Plat. remp.* II 116, 2–17 Kroll: vd. supra, § 1], si è potuto persuasivamente stimare che della storia di Filinnio è andato perduto in Flegonte circa 1/5 del totale: ossia circa 45 righe, contro le 183 conservate in P (f. 216r., l. 1 – f. 218v., l. 18). Ora, se l'inizio del quaternione 33 coincideva con l'inizio del Περὶ θαυμασίων, ne consegue che la vicenda di Filinnio non poteva essere la prima dell'opera; le circa 45 righe perdute erano infatti ben lungi dal coprire l'intero quaternione, che… doveva contare 8x2x33 = 528 righe di testo (o appena meno, se si postula un titolo iniziale con le susseguenti righe vuote)» (Str.[b] 196).

40 Suspicatus olim eram, e duabus redivivorum narrationibus apud Procl. *in Plat. remp.* II 115, 15 – 116, 2 Kroll adumbratis, priorem saltem infuisse Phlegontis *Mirabilium* initio deperdito: quod autem temporum rationes prohibere iam censeo (singula vd. ap. Str.[b] 197 et adn. 26). sunt praeterea quae Moyses Chorenensis Armenus (saec. V p.C.n.) perhibet de Artashe, Parthorum rege, e Graeco 'Phlegonio' se pendere profitens (*hist. Arm.* 2, 13 = *FGrHist* 257 F 39). haec ex opusculo Περὶ θαυμασίων Moysem deprompsisse contendit Martelli 257–60, cui antea satis favebam (Str.[b] 197–8). sed Moyses dubiae fidei historicus est, et, si credimus

μακροβίων iam excussa sunt in § 1. sequens fragmentum ex *Olympiadibus* (= *FGrHist* 257 F 1) nihil de rebus mirabilibus prodit, sed eo videlicet cum Phlegontis *mir.* et *long.* exscriptum est a librario, quod una cum praecedentibus in exemplari describendo, quod ante oculos librarius habuit, praebebatur. quae post invenimus opuscula Apollonii et Antigoni – utriusque fere ignoti[41] – rerum mirabilium satis siccae congeries sunt, ad instar Phlegontis *mir.* 4–35 et *long.* 1–5.

Iam vero hoc quaerendum est: cur et quo pacto paradoxographorum agmen in codicem pervenit ad collectionem quandam p h i l o s o p h i c a m pertinentem? praemonendum sane non omnes huius collectionis codices nonnisi textus de philosophia agentes tradidisse[42]; quod autem ad librum nostrum pertinet, summa quaestionis est in exemplaribus ipsis, e quibus artifex codicis Palatini quae in eo continenda essent descripsit. doctus ille non minus sex diversis exemplaribus ad singulas Palatini partes conficiendas usus est. ut quidem Ronconi – multis variisque vestigiis nisus – nuper ostendit[43], veri simile est complura ex iis exemplaribus, vel eorum deinceps antigrapha, redire ad bibliothecam scholae Neoplatonicae Atheniensis, a. 529 p.C.n. clausae. omnino consentaneum est in illa

Topchyan 79–84; 99 nuperrime affirmanti (1) Artashen eundem esse atque Art. I Armeniorum regem (189–160 a.C.n.), et (2) Phlegontis laterculum de hoc rege sumptum esse a Moyse ex Africani *Chronographia*, concludere debemus Africanum ex Phlegontis *Olympiadibus* deinceps ista hausisse, sicut aliis locis pro certo constat (cf. *FGrHist* 257 F 8; 16b). his omnibus perpensis, nullum prorsus adminiculum praesto esse ut Moysis fragmentum libello Περὶ θαυμασίων adnumeretur mihi iam persuasi.

41 De Apollonio (ed. Giannini 119–43) vd. Giannini[a] 122–4, *EANS* 110, Pajón Leyra 176–8; Antigoni opusculum (ed. Musso[b]) antiquo cuidam auctori deberi, non excerptorum collectionem esse media aetate Byzantina confectam – ut nonnulli putaverunt –, luculente monstravit Ronconi[b] 60–4; cui iam adstipulatur Dorandi[a] 121–4, qui ceterum Antigono Carystio (saec. III a.C.n.) nullo pacto posse opusculum adscribi censet.

42 Cf. singillatim Ronconi[b] 36 adn. 14.

43 Cf. Ronconi[b] 65–72.

bibliotheca scriptores rerum mirabilium suum locum habuisse: eiusmodi enim scriptores heredes sunt Aristotelicae illius consuetudinis, ex qua universa rerum naturae admiranda collectione digna videantur, cum admiratio (τὸ θαῦμα) ad plura cognoscenda quam maxime impellat[44]. quod plus est, Neoplatonici ad mirabilia congerenda, investiganda atque ad mundi ordinem – suae sectae usi rationibus – redigenda deditissimi fuerunt. Damascium ipsum, ultimum scholae Platonicae Atheniensis σχολάρχην, conscripsisse constat quattuor libros περὶ παραδόξων, in quibus perhibebantur παράδοξα de dis, de daemonibus, de hominum animis post mortem visis, de rerum naturis[45]. pars tertia operis non aliud videlicet fuit quam collectio – 63 capitula complectens[46]! – narrationum de spectris, haud secus ac Phlegontis *mir.* 1–3. his rebus Damascium inde a scholae annis imbutum esse docet praeterea testimonium ex ipsius *Vita Isidori*[47]. nec solus e philosophis Damascius fuit, qui ad haec incumberet: cum de animae fatis disserendum esset, historias de mortuis inter vivos reversis collegerunt atque excusserunt complures philosophi[48]; e quibus memorare h.l. sufficiat Proclum – Atheniensis scholae et ipsum olim σχολάρχην –, quem nonnullas historias cum Phlegonte communes in tractatu quodam suo protulisse iam repperimus (§ 1).

44 Vd. nuper Str.[e] 303 post Schepens[-Delcroix] 380–1; 390–2.

45 De hoc Damascii opere deperdito, cuius solum certum – etsi non omnino liquidum – testimonium Phot. *bibl.* 130 exstat, vd. Str.[c] 67–70, Ibáñez Chacón[b] .

46 Cf. Phot. *bibl.* 130, 96b, 40–2 ὁ δὲ τρίτος (sc. λόγος) περὶ τῶν μετὰ θάνατον ἐπιφαινομένων ψυχῶν παραδόξων διηγημάτων κεφάλαια ξγʹ.

47 Cf. Damasc. *v. Isid.* 63 (p. 92) Zintzen = *hist. philos.* fr. 50 Athanassiadi, de mortuorum umbris inter se proelio dimicantibus. haec Damascius apud Theonem magistrum (*PLRE* II 1107 [4]) adulescentulus didicisse videtur: cf. Str.[c] 430–1 adn. 1.

48 Cf. Orig. *contra Cels.* 5, 57 παράδοξα δὲ πράγματα τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφαίνεσθαί ποτε καὶ τῶν Ἑλλήνων ἱστόρησαν οὐ μόνον οἱ ὑπονοηθέντες ἂν ὡς μυθοποιοῦντες ἀλλὰ καὶ οἱ ἀνὰ πολὺ ἐπιδειξάμενοι γνησίως φιλοσοφεῖν κτλ.; et fuse Str.[c] 51–2; 63–77.

Ad summam, Phlegontis narrationes de 'redivivis' in *mir.* 1–3 necnon cetera mirabilia et in *mir.* 4–35 et in *long.* congesta (itemque Antigoni et Apollonii opuscula, in **P** pariter recepta) velut exemplorum repositoria certe percommoda fuerunt philosophis, maximeque Neoplatonicis. itaque haec omnia in bibliotheca scholae Platonicae Atheniensis olim fuisse, etiamsi pro certo haberi nequit, haud temere credi licet. ceterum, ut in universum loquamur, apud scholas doctorumque conventus libri asservari atque describi in saecula usque saepe pergebant, quique textus in eruditorum circulos intrassent multo saepius quam ceteri ad nos pervenerunt: quod ad cunctas antiquorum litteras quidem spectat, sed de scriptis mirabilia tractantibus praecipue verum est. quae enim ex huiusmodi scriptis etiamnunc legimus, non sua virtute – ut ita dicam –, sed utpote scholasticis utilia plerumque asservata ac nobis tradita sunt[49]. quod cum aliis tum Phlegontis opusculis *mir.* et *long.* plane evenit, quorum sola fere antiqua vestigia ad Diogenem Laertium philosophum atque ad Atheniensem Platonicorum scholam non sine causa redeunt.

3. DE SCRIBENDI RATIONIBVS IN CODICE **P** ADHIBITIS

Sicut paene in omnibus 'collectionis philosophicae' codicibus, exarantur paginae in **P** 33-nis versibus («réglure» 33A1d Leroy-Sautel) 30-nas/40-nas litteras continentibus. scriptio est minuscula satis regularis, quae in litteris desinendis crassiores facit tractus. cum vero in singulis codicis partibus non omnino sibi constet scriptio, extiterunt qui non ab uno, sed a duobus scribis **P** confectum esse putaverint. nuperrime autem Ronconi, tota re acerrime denuo exquisita, ad haec pervenit[50]:

1. totum manuscriptum una atque eadem manu exaratum est, quamquam scribendi rationes in munere absolvendo haud leviter librarius variavit;

49 De his rebus omnibus vd. Str.[c] 87–108, Str.[e] passim.

50 Cf. Ronconi[b] 41–6 (ubi superiorum opiniones digestas invenies).

2. opus scribendi non diversis atque inter se remotis temporibus, sed uno processu effectum est.

Librarius noster dux fuit sine dubio inter doctos illos, qui 'collectionem' instruxerunt; illius manui codices eiusdem agminis, praeter nostrum, non minus quattuor debentur, quibus accedunt adnotationes aliquot[51] in nonnullis aliis 'collectionis' codicibus, a scribis diversis confectis, interspersae. ignoto huic docto item tribuenda est[52] parva illa scriptio maiuscula, quam in **P** offendimus sive in singulorum operum inscriptionibus vel subscriptionibus, sive in notis marginalibus, sive in supplementis supra lineam appositis (vd. infra, XXI).

Codicis Palatini res orthographicas, spiritus accentusque ponendi rationes, interpunctionem etc. alii diligentissime enarraverunt[53]. hic pauca praecipua commemorare liceat[54]:

(a) orthographia valde accurata est: notandum inter alia ι mutum semper adscribi (haud raro postmodo additum); vocalibus ι et υ signum ¨ superimponi sive in verbi initio, sive cum eorum alterutra vocalem aliam sequatur nec cum illa diphthongum efficiat; verba composita signo ὑφὲν instrui (e.g. ff. 222v, 1 ~ *mir.* **281** πολύ‿ολβον; 228r, 33 ~ *mir.* **572** ἐκουρο‿τρόφει); compendia nulla in usu esse (si marginalia litteris maiusculis exarata excipias: vd. infra), nisi aliquando lineolam vocali suprascriptam pro ν, in fine versus; et rarius ȣ pro ου.

51 Vd. singillatim Cataldi Palau 252, Cavallo 254.

52 Cf. Ronconi[b] 43–4.

53 Et ad haec, et ad omnia quae scribendi rationes in **P** obvias respiciunt, si quis plura velit adeat praesertim Bast[b] 855–61 (etsi non omnia ibi fide digna), von Gutschmid 590–5, Frisk 26–36; 46 et passim, Diller[a] 5–6, Diller[b] 26–7, Musso[b] 9–14, Calderón Dorda[b] XXXIII–XXXIX, Perria[b] 63–4 (cf. 56–62), Marcotte[a] LXXXVIII–LXXXIX, Ronconi[b] 33–75 passim.

54 Et de his rebus, et de sequentibus, e sola fere codicis parte Phlegontem continente exempla me allaturum esse moneo. ea praeterea in codice illustrando plerumque omisi, quae ad Phlegontem nullo modo pertinerent (velut fontium indiculos ad Parthenium et Antoninum Liberalem aut imo margine aut imo et summo simul margine appositos, de quibus vd. nuperrime Lightfoot[a] 247–56).

(b) spiritus et accentus semper apponuntur (etsi, quoad enclisin, rationes ab hodiernis discrepant[55]); frequens «[o]missio accentus vel spiritus in voce plene integrisque litteris scripta dubitationis index est, aut significat, librarium vocem pro corrupta habuisse»[56]. verba spiritu accentuve carentia saepe inter se conglomerantur, cum de vocabulorum etiam distinctione librarius plane dubitaverit (vd. e.g. appar.² ad *mir.* **482–3**, **504**, **517**, **518**, **520**, **523**; *long.* **17–8**, **44**, **53**). et haec et alia minora satis liquide arguunt «dass die Vorlage des Schreibers (wenigstens in den genauer untersuchten Paradoxographen) eine ohne Worttheilung und ohne Spiritus und Accente geschriebene Majuskelhandschrift war»[57].

(c) ad interpungendum adhibentur plerumque comma (,), colon (:) et punctum elevatum (·)[58]. huic puncto, quod graviorem interpunctionem exprimit, semper iungitur in margine sinistro lineola recta, velut paragraphos (—). singula capitula colon distinguit; huic quoque in opusculo Περὶ μακροβίων lineola recta in margine sociatur, quotienscumque longaevus a sequente dividitur. cum aut carmina oraculave aut orationes rectae proferuntur, signum > vel ⨯ vel ·⨯· ab initio ad finem in margine sinistro appingitur; versus laudati hic illic signa quantitatis quibusdam litteris suprascripta exhibent (vd. e.g. appar.² ad *mir.* **323**, **441**, **472**), sed semper καταλογάδην scribuntur.

Summa cura opere suo fungi enisus est librarius. errores itacistici q.d. perraro occurrunt (cf. e.g. appar.² ad *mir.* **4**, **17**, **248**; *long.* **26**, **28**, **46**, **98**), cetera menda aut in versibus – maximeque in oraculorum tenebris – aut in nominibus propriis describendis plerumque orsa. his exceptis, non multa exstant errata, quae non iamdudum correcta sint[59]. nempe librum exaratum doctus ipse scriba sua manu totum

55 Ad rem vd. universe Reil 519–25.

56 Bast[b] 855.

57 von Gutschmid 594; vd. praeterea Frisk 33–4; 46.

58 Alia signa rarioris usus transeo, quae Perria[a] detexit et illustravit.

59 Notandum autem menda e perseveratione orta correctionem plus semel effugisse: cf. appar.² ad *mir.* **144–5**, **203**, **236**, **288** (de quibus vd. Str.[b] 215); *long.* **5**. corruptela inversa deprehenditur in locis velut *mir.* **111**; *long.* **107** (vd. appar.² ad locc.).

emendavit, haud dubie ad fidem antigraphi[60], his tribus fere rationibus[61] usus: 1) errata abrasit, mox in rasura correcta scripsit (exempla ubiqua); 2) omissa aut supra lineam (cf. e.g. appar.[2] ad *mir.* **36**, **51**, **431**, **583**, **630–1**), aut rarius in margine (cf. appar.[2] ad *long.* **9–10**), addidit; 3) singulas litteras puncto suprascripto deleri indicavit (cf. appar.[2] ad *long.* **79**, **92**, **126**, **174**). spatia erasa nec denuo scripta signo ÷ expleri solent[62]: aut singulo (e.g. ff. 224v, 33 ~ *mir.* **392** ὃ÷ἂν; 229r, 19 ~ *mir.* **610** -ως÷τριδέντου) aut iterato (cf. appar.[2] ad *mir.* **638**; *long.* **14**), ut pro hiatu commodum.

Varias lectiones hic illic praebuit scriba[63], aut in margine (cf. appar.[2] ad *mir.* **180**) aut supra lineam (cf. appar.[2] ad *mir.* **399**, **438**); quae in margine minusculis, quae supra lineam maiusculis plerumque litteris scribuntur. occurrunt praeterea scholia nonnulla marginalia, non magni fere momenti, ab ipso quoque librario – praeter pauca seriora[64] – litteris plerumque maiusculis (cf. supra, XIX)[65] crebris compendiis exarata. cum variae lectiones in margine appositae, tum scholia omnia, aut puncto suprascripto aut consimili alio signo notantur et in textus loco tractando et ad marginale ipsum (vd. e.g. appar.[2] ad *mir.* **172**, **180**).

60 Cf. Martini XLI.

61 Cf. Frisk 27–8. aliae corrigendi rationes rarius adhibitae suo loco enarrabuntur (vd. appar.[2] ad *mir.* **358**; *long.* **50**).

62 Multo rarius lineola recta (–), velut f. 221v, 13 ~ *mir.* **243** τραύ–ματα.

63 Unde hae variae lectiones procedant, quae per omnes codicis partes inveniuntur, nimis vasta est quaestio quam ut hic delibari, nedum excuti, possit. quoad Phlegontis dumtaxat partem, veri simile videtur quod in universum affirmat von Gutschmid 593: «Ab und zu sind abweichende Lesarten… in der grossen Minuskelschrift des Textes am Rande beigeschrieben, offenbar solche, die schon in der Urhandschrift standen».

64 In codicis parte Phlegontem continente unum tale scholium invenitur (f. 217v.: vd. appar.[2] ad *mir.* **76**), ante saec. XV exaratum (cf. Diller[a] 9).

65 Sed plus semel etiam minusculis, ut monuit Ronconi[b] 45–6.

Pauca postremo subicienda de lineolis transversis (/) satis frequentibus, ad instar obelorum in margine appictis[66]. utrum ipsi librario (quod cum compluribus doctis[67] crediderim) an manui recentiori[68] haec signa debeantur, pro certo diiudicari nequit; eorum tamen ratio satis liquida est: ut de sola Phlegontis parte dicam, ad capituli initium vel potius ad capituli auctorem animadvertendum aliquando monent (ff. 218v, 19[69]; 221r, 16; 224r, 32; 227v, 16); multo saepius aut suspectum aut plane mendosum textum indicant (ff. 216r, 32 ~ *mir.* **21–2**; 220v, 14 ~ *mir.* **198**; 223v, 6 ~ *mir.* **329**; 226v, 9 ~ *mir.* **482–3**; 226v, 16 ~ *mir.* **488–9**; 228v, 12 ~ *mir.* **580**; 230v, 4 ~ *long.* **6–7**; 231v, 13 ~ *long.* **54–5**; 231v, 24 ~ *long.* **61** [nr. 58]; 231v, 29 ~ *long.* **63–4**; 233r, 23 ~ *long.* **128**; 233r, 32 ~ *long.* **134**; 234r, 9 ~ *long.* **164**).

4. DE FATIS CODICIS **P** ET DE PHLEGONTIS OPVSCVLORVM EDITIONIBVS

Quae de fatis codicis **P** erui possunt nuperrime recensuit ex integro Desiderius Marcotte[70], tali usus cura ut totam materiam denuo evolvere supervacaneum fecerit: unde graviora tantum commemorabo. de saec. X–XIII nihil omnino constat. ad initium saec. XIV referendus est codex ille Vatopedinus, qui – quoad geographo-

66 De harum lineolarum usu in **P** fuse disserit Morocho Gayo, cui tamen non suffragor contendenti haec signa ad detegendas interpolationes e schola manantes praesertim adhibita; vd. praeterea adnn. 67–8.

67 Bast[a] 48, Bast[b] 855, Hercher 368; 369, von Gutschmid 594, Frisk 33.

68 Musso[b] 12; 13, dubitantius Morocho Gayo 319 («El óbelo sería obra del proprio copista…, o más bien el trabajo de un experto filólogo de los muchos que existieron en esta época»).

69 H.l. lineola transversa lineolae alteri rectae – eadem manu exaratae – sociatur; in utraque lineola atramentum minus nitidum est quam in textu et in ceteris huiusmodi signis: unde has lineolas ceteris seriores esse suspicor.

70 Cf. Marcotte[a] XCVII–C; CXLV–CXLIX; CLVIII–CLX, ubi cetera superiora (plerumque iam obsoleta) laudantur.

rum opera – e **P** pendet (§ 2); utrum autem Constantinopoli an alibi **P** esset, cum eius portio geographica describeretur, valde incertum. insequenti saeculo fuit quidem **P** sine dubio Constantinopoli, ubi inter annos 1435 et 1437 in possessionem venit cardinalis Iohannis Stojkovič, de Ragusia Dalmatica, qui et hunc et multos alios Graecos codices Basileam in Helvetiam secum advexit. libros suos manuscriptos legavit praelatus (†1443) Dominicanis urbis Basileae; ex his mutuatus est et alios et nostrum codicem Hieronymus Frobenius typographus, e cuius officina prodiit a. 1531 editio princeps Parthenii (a Jano Cornario confecta), quae princeps quoque fuit ex omnium in **P** traditorum auctorum editionibus. deinde a. 1553 Sigismundus Gelenius, qui apud Frobenium opuscula aliquot geographica e **P** deprompta viginti ante annos imprimenda curaverat, codicem nostrum donavit Ottheinrico, electori illi Palatino qui bibliothecam Palatinam Heidelbergae condidit.

Heidelbergae codicem tandem Palatinum in manibus habuit Guilielmus Xylander[71], qui a. 1568, e **P** hauriens, Antoninum Liberalem mythographum, praeterea Phlegontem, Apollonium et Antigonum paradoxographos primus prelo tradidit (una cum Marci Aurelii *Meditationibus* iterum editis)[72]. mox a. 1623 Palatinatum subegit Maximilianus I Bavariae dux, qui bibliothecam Palatinam Gregorio XV pontifici donavit. migravit **P** itaque Romam in bibliothecam Vaticanam, ubi tamen non ultra finem saec. XVIII mansit: nam a. 1798 cum multis aliis Vaticanis libris a Napoleonis copiis avectus Parisios pervenit. ibi **P** attentissime exploravit Fridericus Iacobus Bast, landgraviae Hessensis legatus, cuius *Epistola critica* (1805, vers. Lat. 1809) et *Commentatio palaeographica* (1811) verum initium sunt investigationis palaeographicae 'more philologico' perductae cum codicis **P** tum multorum aliorum Graecorum mss.[73]. restauratione q.d. denique facta, a. 1816 **P** Heidelbergam revertit, ubi etiamnunc asservatur in bibliotheca Universitatis illa ipsa collocatio-

71 Omnes editiones et ceteri libri, quorum dehinc cursoria mentio fiet in §§ 4–5, in conspectu librorum (XXXVIII–LIX) singillatim laudantur.

72 De hac editione vd. Hieronymus (cur.), appendicem II, 5–8.

73 De hoc viro docto, summa iniuria plerumque neglecto, vd. Hemmerdinger 531–6.

nis nota, quam inde a principio in bibliotheca Palatina habuerat: Palat. Gr. 398.

Veniamus nunc ad editiones Phlegontis opusculorum Περὶ θαυμασίων et Περὶ μακροβίων[74]. quae aut utrumque aut prius tantum continent hae – quod sciam – sunt (cf. conspectum librorum, **I.a**):

a. Xylander (1568). in priore voluminis parte Latinas versiones, in altera – paginarum numeris denuo inceptis – Graecos textus et «adnotatiunculas» aliquot habes. *mir.* et *long.* tamquam unum continuum opus hoc ordine proferuntur, perinde atque in **P** (cf. § 1). ceterum editionem hanc principem summo studio ingenioque Xylander apparavit: codicis textus accuratissime fere describitur, plus semel etiam corrigitur[75] aut in edendo aut in «adnotatiunculis» editioni subiectis; multa alia tacite emendantur in Latina versione[76], quae praeterea magni saepe auxili ad textum intellegendum fit.

b. Meursius (1620). *mir.* et *long.* disiuncte eduntur – ut semper posthac –, capitulorum numeris primum additis, quos etiamnunc adhibemus. **P** non contulit Meursius, qui textum Xylandri plerumque recepit atque illius versionem repetiit. non pauca nihilominus vir doctus egregie emendavit, praesertim in adnotationibus eruditis quibus editio instruitur[77].

74 Unum obiter admoneo: ante Giannini, universi editores fragmentum ex operis de Olympiadibus initio, in **P** traditum (*FGrHist* 257 F 1; vd. supra, V–VI; XVI), opusculis *mir.* et *long.* aut praeposuerunt aut subiecerunt; cum tamen multa praeterea fragmenta aliunde nota ex magno illo opere chronographico exstent, et materia ista sit tota fere alia ac nostra, in Phlegontis editionibus recensendis nonnisi *mir.* et *long.* hic considerabuntur.

75 Egregie in locis velut *mir.* **308**, **483**, **490**; alibi tamen Xylander nimis 'Atticum' reddere voluit Phlegontem: vd. infra, XXXIII–XXXIV.

76 Vd. e.g. appar.[2] ad *mir.* **115**, **122**; *long.* **41**, **115**, **119–21**.

77 Vd. e.g. appar.[2] ad *mir.* **159**, **229**, **373**, **420**, **598**; *long.* **53**, **54–5**.

c. Franz (1822²; 1775¹). P non contulit Franz. Graecus textus e Meursio plerumque sumptus pauca novata exhibet, nec saepe in melius[78]; Xylandri versio denuo repetitur. commodum est utique volumen ob satis amplum adnotationum apparatum: omnes enim superiorum editorum notas Franz congerit, suas ultro addit. subiciuntur quae ex viri docti Bast *Epistola critica* ad Phlegontem attinent (pp. 142–62). saepius quidem increpuerat Bast editionem Franzianam priorem, quae a. 1775 prodierat, ob editoris imperitiam interdum ineptissimam[79]; has omnes castigationes aequo animo repetit Franz in adnotationibus editionis alterius a. 1822, nec tamen errata sua a Bast reprehensa emendat! volumen claudunt Henrici Meibomii *Epistola de longaevis* (1664: pp. 165–93), deinde indices locupletissimi (pp. 194–290) adhuc nonnumquam utiles.

d. Westermann (1839). P inspexit quidem Westermann, qui et apparatum criticum – sensu hodierno – primus instruxit; omnia tamen succincta ac velut citata, commentarii nulli praebentur, et Graecus textus, si cum editionibus prioribus comparatur, non multum profecisse apparet. nempe Phlegontem se flocci pendere professus est vir doctus[80], qui auctorem nostrum non magno dignum labore videlicet putavit[81].

e. Müller (1849; addenda 1851). *long.* ante *mir.* eduntur. textus nova codicis collatione non fultus notis criticis satis exiguis instruitur; repetitur ad calcem paginae Xylandri versio. editor tamen exercitatissimus locos corruptos complures ope ingenii sanavit, levem plerumque manum adhibens[82].

78 Vd. nihilominus appar.² ad *mir.* **107–8**, **244**, **521**, **632**; *long.* **40**.

79 Cf. e.g. Bast[a] 60 de mendo quodam typogr. quod Franz e Meursio sumpserat atque ut genuinam lectionem strenue defenderat.

80 Cf. Westermann XXXVIII–XXXIX.

81 Bene nihilominus meruit Westermann de Phlegonte in locis velut *mir.* **39**, **198–9**, **268**, **306**, **399**, **464**, **467**, **468**; *long.* **6**, **12**, **36**, **37**, **93**, **119**, **150**.

82 Velut ad *mir.* **48**, **204**, **206**, **215**, **228**, **263**, **326**, **343**, **383**, **390**, **636**, **639**, **645**. vd. praeterea appar.² ad *mir*. **371**.

f. Keller (1877). editio valde novata, superioribus omnibus potior. nam, **P** satis diligenter (per Alfredum Holder: cf. p. III) collato, purgatus est textus mendis aliquot iamdudum vulgatis[83]; primus praeterea Keller commentationes de Phlegonte ad illum diem editas conquirere atque adhibere studuit, coniecturis insuper additis et suis[84] et – saepius – ab Augusto Nauck sibi impertitis[85]. laborat tamen opus ob adnotationes criticas incommodissime disiunctas: pars enim textui subiacent, pars in praefatione dantur (commentariolis interdum locupletatae); unde non raro haeret lector.

g. Jacoby (1929: textus; 1930: commentarius). in opusculo Περὶ μακροβίων singuli longaevi singulis numeris primum peropportune notati sunt. in Sibyllinis edendis, duobus validissimis adminiculis niti potuit vir doctus: cum Zosimo a Ludovico Mendelssohn novis rationibus edito (vd. § 5), tum oraculis Sibyllinis ab Hermanno Diels funditus reformatis (vd. infra). tali praeterea doctrina peritiaque, suo more, opus absolvit Jacoby[86] – etsi **P** non vidit –, ut eius editio (= *FGrHist* 257), commentario succincto sed densissimo insuper praedita, superiores omnes obsoletas fecerit. nempe ad Phlegontis testimonia et fragmenta, *mir.* et *long.* exceptis (vd. § 6), haec est editio etiamnunc adhibenda.

h. Giannini ([1966]). opusculum Περὶ θαυμασίων tantum editur, **P** denuo collato. Graecus textus et apparatu critico et fontium conspectu instruitur, Latina versione ab ipso Giannini confecta praeterea ditatur. multum hucusque versata est in doctorum manibus haec editio, sed cum prioribus comparata speciosior quam praestantior

83 Velut ad *mir.* **220**, **401**; *long.* **18–9**.

84 Vd. e.g. appar.[2] ad *mir.* **144**, **454–60**, **663**; *long.* **18**, **33**, **119–21**.

85 Quarum multae textum sine necessitate sollicitant, nonnullae tamen virum illum acutissimum arguunt (vd. appar.[2] ad *mir.* **80**, **287**, **513**, **515**, **566**; *long.* **22**, **26** et **98**, **42**, **89**), qui et alibi ad Phlegontem sanandum complura contulit (cf. Nauck[a–d]).

86 Unde beneficium ceperunt loci velut *mir.* **204**, **262**, **318**, **573**, **598**; *long.* **21**, **23**, **30**, **49**, **70**, **71**, **78**, **82**, **109**, **115**.

apparet: confert quidem nova aliqua vir doctus[87], sed codicis lectiones in apparatu non raro desideras, plus semel vitiose relatas invenis[88]; mendis typographicis textus scatet[89]; doctorum coniecturae saepe falso tribuuntur[90].

i. Sissaz (1995–6). opusculum Περὶ θαυμασίων tantum editur, **P** denuo collato. post praefationem satis amplam praebentur textus criticus (parvo fontium apparatu ditatus), adnotationes ad textum pertinentes, Italica versio, tres appendices (1. *La sposa fantasma*; 2. *L'androgino*; 3. *Leopardi e Flegonte*), tabulae aliquot, conspectus librorum. munere suo satis accurate perfuncta est femina docta, etsi ad textum constituendum perpauca nova attulit[91] et in apparatu critico superiorum (maximeque editionis a Giannini confectae) errata plerumque recepit.

87 Egregie nonnumquam (velut ad *mir.* **513**, **573**, **612**), saepius tamen infirme aut prorsus perperam (velut ad *mir.* **172**, **180**).

88 Ut pauca tantum exempla afferam, cf. ad *mir*. **63** (δὴ in textu ponitur, tacente apparatu), **443** (ῥώμη ἐῆ non codicis lectio est, ut vult Giannini, sed Emperii coniectura), **448** («πίθηαι Xylander : πίθησα P»; vera vide in appar.^{2}), **489** (αιδωνῆ pro αιδωνη ut codicis lectio in apparatu falso notatur), **510** (πατρίοισι νόμοις in textu legitur, sed non amplius quam «πατρίοισιν ὁμοῖς vulg.» in apparatu ambigue adnotatur).

89 Ut de solo Graeco textu dicam (nam in apparatibus menda crebriora), cf. e.g. ad *mir.* **136** (ἀπενέγκοντας [sic]), **143** (ἐγὼ pro ἐγώ), **170** (οὖν pro οὗν), **185** (πᾶν παιδίου pro π. τοῦ π.), **237** (ἀναίρεσιν [sic]), **277** (πιεσθέντα pro -τας), **280** (πατρὶς pro -ίς), **364** (εἱς pro εἰς), **370** (Ἱστορεῖ δὲ Ἡσίοδος pro Ἱ. δὲ καὶ Ἡ.), **462** (ὦσιν pro ὧσιν), **483** (κοσμεῖσθω [sic]), **520** (ὅσσ' pro ὄσσ'), **641** (Αντιγόνου sine spiritu).

90 Ut cetera transeam, alienas coniecturas sibi aut expressis verbis tribuit aut tacite tribuere videtur Giannini in locis velut *mir.* **4** (〈ε〉ῖδεν), **48** (ἐποίει τὸ), **308** (δημωθέντων), **417** (Μηου〈α〉νίᾳ); praeterea lacunas ab aliis detectas se ipsum statuisse significare videtur ad *mir.* **454–60**, **481**, **505–6**. vera vide in appar.^{2} ad locc.

91 Vd. ad *mir.* **17**.

j. Brodersen (2002). opusculum Περὶ θαυμασίων tantum editur, Germanica versione praeditum, commentariis nullis instructum. **P** inspexit Brodersen et textum criticum probabilibus plerumque consiliis constituit, etsi novas suas coniecturas non attulit. locupletant volumen testimonia varia de fortuna capituli *mir.* 1 apud posteros (pp. 71–130).

His pauca addere sufficiet. versiones vulgares opusculorum *mir.* et *long.* – vel *mir.* tantum – aut adnotationibus aut pleno commentario praeditae, Graecum tamen textum non exhibentes (cf. conspectum librorum, **I.a**[1]), perraro ad textum constituendum iuvant[92]. e converso, messis opima fit e nonnullis eorum, qui oracula in *mir.* et *long.* prodita seorsim ediderunt (cf. conspectum librorum, **I.b**). cum enim **Hendess (1877)** nihil de suo praebuerit, contra **Alexandre (1856)** et **Cougny (1890)** non paucis locis medelas attulerunt[93] (etsi multa alia nimis audacter coniecerunt). palmam ceterum adeptus est **Diels (1890)**, qui admirabili acie doctrinaque e lacertis miserrime iacentibus duo oracula Sibyllina refecit (*mir.* 10), et in oraculo quoque saeculari (*long.* 6, 3) multa egregie coniecit vel elucidavit. de oraculo saeculari vd. praeterea § 5.

Quae postremo in commentationibus librisve variis ad libellos Περὶ θαυμασίων et Περὶ μακροβίων emendandos vel restituendos collata sint (cf. conspectum librorum, **II**), h.l. et longum et abs re erat conquirere, utpote cum singula in appar.[2] enotentur. quorumnam nihilominus doctorum rationes ac consilium in Phlegonte edendo maximi momenti fuerint, in § 6 excutietur.

5. DE ORACVLO SAECVLARI A ZOSIMO QVOQVE TRADITO

Oraculum saeculare, quod in *long.* 6, 3 legimus, traditur etiam in Zosimi *Historia nova* (2, 6; saec. V p.C.n.). tota fere Zosimiana

92 Vd. Blandi ad *long.* **53**; Hansen ad *mir.* **374–7**, **645**; *long.* **93**, **141**.

93 Bene meruit Alexandre de Phlegonte praesertim ad *mir.* **468**, **470**, **472**, **491**, **518**; *long.* **132**, **134**; Cougny optime fecit ad *long.* **125–30**.

tractatio de origine ac natura ludorum saecularium (2, 1–6) e Phlegontis scripto deperdito Περὶ τῶν παρὰ Ῥωμαίοις ἑορτῶν (*FGrHist* 257 T 1; F 40) pendere optimo iure censetur[94]; nihil ceterum obstat[95] ne cum in hoc opere tum in libello de longaevis idem oraculum adlegaverit Phlegon, quippe qui Sibyllinorum amantissimus (cf. § 1). utut est, ad Zosimi textum constituendum unum fundamentum est codex Vatic. Gr. 156, incertae originis (**Zos**^{V}). quattuor scribae hunc librum confecerunt; cap. 2, 6 pertinet ad partem codicis quam secunda e quattuor illis manibus exaravit, saec. X^{2} adsignanda[96].

Quando ingressus sit bibliothecam Vaticanam Zosimi codex ignoratur[97]; constat autem inde ab a. 1475 illic eum semper esse asservatum, hac una exceptione: a. 1488–1492 librum mutuatus est quidam Loisius de Loctis, quem Florentinum fuisse suamque in urbem codicem advexisse pro certo haberi potest[98]. iisdem annis typis tradi Zosimus coeptus est (vd. conspectum librorum, **II.c–d**). primus enim **Politianus (1489)** Graecos versus oraculi saecularis e Zosimi «vetustissimis quidem codicibus»[99] descriptos Latinaque versione instructos in *Miscellaneis* (1, 58) suis vulgavit; quin librum ipsum Vaticanum ante oculos habuerit Politianus, non Vaticani apographum quoddam, non iam dubitandum[100]. saeculo insequenti a

94 Primus hoc coniecit Bergk 18 adn. *, hucusque neglectus; meritum tribui solet viro docto Mendelssohn 54–5, qui ceterum rem fusius tractavit.

95 Ut ipse Bergk 18 adn. * animadvertit.

96 De Zosimi codice Vaticano accuratissime disseruit Forcina (20–1 de scriba secundo); addere sufficiat Paschoud LXXXVIII–XC.

97 De tota codicis historia inde a litteris renatis, deque editionibus typis impressis (necnon de versionibus commentationibusque), doctissime ac minutissime disputavit Paschoud XC–CI. illuc lectorem refero plura scire cupientem.

98 Vd. singillatim Forcina 28–9, Paschoud XC–XCI.

99 Vd. infra, XL adn. 118.

100 Ut in perpetuum demonstravit Forcina 28–9; 75 (et cf. Paschoud XC–XCI). monendum tamen non modo a codice Vaticano (**Zos**^{V}), sed etiam ab illius apographis aliunde notis (**Zos**$^{\Sigma}$: vd. infra in textu), plus semel Politianum discrepare. his locis non facile dicas utrum de

cardinali Sirleto, bibliothecae Vaticanae praefecto, ante a. 1572 vetus Zosimi codex a publico usu abstractus est, quippe qui paganum auctorem religioni Christianae inimicissimum contineret. quo evenit ut excerpta quaedam varia saec. XVI vulgata, mox Latina versio a **Leunclavio (1576)** data, deinde Graecus textus ab **Henrico Stephano (1581)** – libro II tenus – et a **Sylburgio (1590)** tandem editus, non codicem Vaticanum pro fundamento haberent, sed apographa aliquot (**Zos**$^{\Sigma}$) ex illo aut ante aut (furtim) post 'clausuram' descripta, nec hodie facile dinoscenda[101]. ex antiquioribus his editionibus textus vulgatus satis mendosus coaluit, quo nihilominus fulti sunt – nullo codice inspecto – **Cellarius (1679)**, **Smith (1679)**, **Reitemeier (1784)**, **Bekker (1823)**. et hi et priores omnes – Politiano scilicet excepto – ob solas fere coniecturas ope ingenii prolatas hodie memorandi sunt.

Anno 1863 Adolfus Kiessling[102] denique ostendit universos Zosimi codices e Vatic. Gr. 156 derivatos esse, ideoque unum Vaticanum ad textum costituendum valere. paucos post annos, vere novam Zosimi editionem dedit **Mendelssohn (1887)**, qui codicem Vaticanum per Augustum Mau diligentissime conferendum curavit[103] et illum solum pro textus fundamento adhibuit. egregiam hanc editionem paucis tantum locis se ultro novasse professus est **Paschoud** (2000²)[104], qui nihilominus codicem Vaticanum denuo contulit, omnia funditus retractavit, menda quaedam minora sanavit, Graecum textum et Francogallica versione et amplis commentariis ditavit.

Adiciendi sunt qui oraculum saeculare seorsim ediderunt, et Zosimum scilicet et Phlegontem adhibentes. hos doctos oblivio plerumque obruit, quamquam ad textum sanandum vel enarrandum nonnulli saltem eorum (cf. conspectum librorum, **II.d**) haud pauca

Politiani lapsu in codice legendo an potius de ipsius coniectura (velut *long.* **201** ἐπαυχένιον, ut vid.) agatur.

101 Intricatissimam de apographis quaestionem acriter excussit Paschoud CII–CIII.

102 Kiessling[a].

103 Cf. Mendelssohn XXII.

104 Cf. Paschoud CII.

contulerunt. inter antiquiores eminent **Opsopoeus (1599)**, **Taffin (1641)** et maxime **Rappold (1717)**, cuius perrarae commentationi debentur coniecturae aliquot praestantissimae[105]; mox **Mitscherlich (1800)** de oraculo enarrando bene meruit; denique, post Zosimi codicem Vaticanum denuo erutum, commemorandi sunt **Kiessling (1884)**, **Basiner (1901)** – summa iniuria apud posteros neglectus – et **Pighi (1968²)**.

Quidnam ex iis, quae hucusque excussi, ad oraculum saeculare edendum efficiatur, sic dilucide comprehendit iam Wilamowitz: «Zosimus hat zwar wahrscheinlich aus Phlegon geschöpft, aber die Behauptung ist an sich haltlos, dass deshalb die einzige Handschrift des Phlegon einzig zu Grunde zu legen wäre: die einzige Handschrift des Zosimus ist selbstverständlich auch eine Quelle der Ueberlieferung des Phlegon und somit des Orakels»[106]. textus ergo oraculi, ubicumque fieri potest, consensu inter **P** et **Zos**^{V} nititur. cum alteruter tantum horum rectam lectionem exhibere videretur, lectionem istam – ut consentaneum – in textum adscivi. cum **P** et **Zos**^{V} inter se discreparent, aeque bonas tamen ambo lectiones ostenderent, codici **P** adstipulari institui: exigebat enim – ni fallor – ratio edendi ut, paribus ceteris, librum illum assequi pergerem, qui universe ad Phlegontis textum constituendum velut primum optimumque fundamentum se praeberet.

Perpauca de apparatu critico subicienda. de codicis **P** lectionibus, necnon de virorum doctorum coniecturis, in apparatu adnotandis, vd. § 6. quod ad Zosimi codicem Vatic. Gr. 156 attinet, folia oraculum saeculare continentia (ff. 27v–28r), me poscente, qua est benignitate acerrime contulit Philippus Ronconi[107]; deinde ipse iterum inspexi, microchartulis usus. codicis lectiones (**Zos**^{V}) in apparatu quam diligentissime adnotavi, inter librarii ipsius (**Zos**^{V1}) et correctoris fere aequalis (**Zos**^{V2}) manum – ubi opus esset ac discerni posset – distinguens. apographa ab edd. vett. adhibita (**Zos**$^{\Sigma}$) tunc tantum

105 Vd. praesertim ad *long.* **178**, **181**.

106 Wilamowitz[b] 648.

107 Siglo Ronconi[c] in hac editione notatus.

laudavi, cum paradosis dubia vel vitiosa ope videlicet ingenii in apographis illis emendata esset.

6. DE HVIVS EDITIONIS CONSILIIS AC RATIONE

Phlegontis editiones hucusque factae, sepositis mendis virtutibusque in § 4 singillatim recensis, vitiis aliquot plus minusve communibus laborant et ἔργῳ et μεθόδῳ. quoad ἔργον, his maxime dolendum:

1. codicem **P** editores aut nequaquam inspexerunt, aut nonnisi per alios doctos inspiciendum curaverunt, aut ipsi contulerunt quidem, sed satis festinanter (vd. rursus § 4): unde codicis scripturas aut lacunose aut mendose persaepe referunt apparatus critici;

2. commentationes librosque Phlegontis textum emendantes, defendentes, enarrantes numquam ex integro conquisiverunt atque excusserunt editores (etsi Keller hoc facere coepit): unde in apparatibus criticis coniecturas plurimas falso adscriptas invenis, multas alias – easque haud raro egregias – desideras, et textus ibi saepe emendari pergit, ubi unus aliusve doctus nihil immutandum esse iamdiu ostendit nec posteris innotuit.

His perspectis, primum editionis meae munus id esse – ut consentaneum – institui, ut et lectiones codicis **P** (quem Heidelbergae minutissime inspexi), et ea omnia, quae viri docti contulissent ac relatu digna viderentur, summa cum cura praeberem. quod scilicet cum grano salis erat faciendum. codicis enim scripturas acerrime enotare studui, sed et interpunctionem et res quasdam orthographicas ad hodiernas consuetudines tacite accommodavi (e.g. σ in ς ad finem verbi converti; iota mutum, quod in **P** semper adscribitur, subscripsi). praeterea, minutias ad textum constituendum nihil iuvantes (notas quantitatis, signa ὑφὲν et sim.; scribendi rationes ab hodiernis discrepantes, velut παρὰ χρῆμα pro παραχρῆμα; etc.) semper tacui, nisi cum ad locum aliquem perpendendum quodammodo valerent. item dicendum de rasuris, quae in **P** identidem inveniuntur. ut supra vidimus (§ 3), debentur illae ipsi librario, qui codicem exaratum ad fidem (solius) antigraphi emendavit. eradebat ergo scriba non ut varias lectiones ab aliis mss. sumptas in vicem

priorum scripturarum poneret, sed ut suos plerumque lapsus in scribendo factos purgaret: ut ex iis locis nitide elucet, in quibus litteras ante rasuram scriptas adhuc dispicere licet (vd. appar.[2] ad *mir.* **60**, **275**, **433**, **453**; *long.* **146**). perraro tantum aut varias lectiones aut alicuius utique indicium perturbationis in ipso antigrapho exstasse loci erasi arguunt (vd. appar.[2] ad *mir.* **86**?, **438**, **499**, **512**?, **513**; *long.* **25**): quibus solis fere locis in apparatu rasuras adnotavi (iis quinque additis, quas paulo supra enumeravi), ceteras ad rem criticam nihil conferre ratus.

Quod ad bibliographiam q.d. spectat, summa ope nisus sum non solum ut omnia pro viribus exquirerem atque unicuique suum redderem, sed etiam ut lector ubique sciret quis quo loco coniecturam (vel textus defensionem) aliquam publici iuris fecisset. ingratus quidem labor, sed lectori – ut puto – utilis quam qui umquam. consuetudinem contra respui, quam valde increbruisse miror, qua non solum qui primus coniecturam aliquam proposuerit, sed etiam qui eam receperint in apparatu laudandi putentur: hoc ad historiam studiorum, non ad edendi rationem pertinet. unam admisi exceptionem: qui aliorum coniecturas probatas novis ultro argumentis corroboraverunt, hac nota in apparatu item commemorati sunt. ceterum non universa rettuli, quae viri docti inde ab editione principe (1568) in Phlegontem coniecissent, sed ea plerumque tantum quae meo iudicio recta essent vel esse possent, aut utique ad veritatem ducere viderentur, etsi verum nondum restituerent.

Veniamus nunc ad ea, quae ad μέθοδον attinent. hic distinguendum est inter partes soluta oratione et partes versu conscriptas.

Phlegontis prosa oratio persaepe emendata est, inde a Xylandro, ut ad Atticam normam redigeretur. perspexerat autem iam Photius (cf. § 1) nequaquam rigide uti Phlegontem Attico stilo in opere Περὶ Ὀλυμπιάδων; quod etiam ad libellos superstites Περὶ θαυμασίων et Περὶ μακροβίων plane spectat, maximeque ad prioris opusculi capp. 1–3, quae manifesta indicia κοινῆς διαλέκτου exhibere iam vidimus (§ 1). hinc efficitur ut erraverint viri docti codicem **P** permultis locis sollicitantes, in quibus formas vocesque non Atticas quidem, sed aetatis Hellenisticae ac Romanae proprias, ingenue servat liber ille

accuratissimus. primus haec omnia intellexit Iacobus Leopardi[108], cuius tamen egregiae *Note ai Taumasiografi greci* aut partim tantum aut nihil omnino Phlegontis editoribus praesto fuerunt[109]; Leopardiana vestigia secutus, his linguae rationibus **P** crebro vindicavi.

Aliud adminiculum hucusque satis neglectum ex eo venit, quod et in *mir.* (maximeque in capp. 1–3) et in *long.* singulae narrationes singulive laterculi aut simili aut eadem plane structura perhiberi solent, sive mirabilia produntur sive longaevorum nomina referuntur. hoc et in paradosi defendenda et in mendis occultis deprehendendis magni saepe auxilii fit, structurae congruentia ultro confirmante auctoris usum scribendi[110].

Opusculum Περὶ μακροβίων exigebat praeterea ut statueretur quibus rationibus nomina propria et Romana et alienigena Graecis accentus regulis accommodanda essent. **P** ubique assequi non expediebat: qui enim spiritus accentusque ibi leguntur non magnam habent auctoritatem, cum additi sint (nec ii semper) ab ipso Byzantino librario – docto quidem, sed his rebus parum versato – qui exaravit codicem, cuius vetus antigraphum haec plane non praebebat (vd. § 3). superiores editores nihil in hanc materiam iudicaverunt; ipse regulae illi obtemperare institui, quae 'lex Clarysse' vulgo nuncupatur: «Aus anderen Sprachen entlehnte Namen und Wörter, die morphologisch ans griechische System assimiliert wurden, werden ohne Rücksicht auf ihre fremde Herkunft nach den üblichen griechischen Akzentregeln betont»[111]. his nisus, lexicis fontibusque

108 Cf. Leopardi 574 et passim.

109 De vicibus harum adnotationum, quarum magna pars usque ad annum 1969 aut inedita aut male edita iacuit, docent Pacella et Timpanaro ap. Leopardi 567–9; et fusius Timpanaro 115–21; 174–89 passim.

110 Exempla in *mir.* (quae omnia illustr. Str.[b] 201ss. passim) cf. **73** λυποῦσαν οὐδέν, **86–7** τῶν κατὰ μέρος, **96** ὅπερ, **115** παρεγίνετο, **137** βουλομένων, **244** λεπτῇ τῇ φωνῇ, cum appar.[2] ad locc.; in *long.* vd. appar.[2] ad **6, 12, 21, 22, 23, 30, 49, 63, 71, 78, 82, 110–3, 115, 119, 121.**

111 Kramer[a] 133, qui definitionem a Clarysse 179 datam resumit expolitque. vd. praeterea Kramer[b], Cervenka-Ehrenstrasser in *LLL* II XXI; contra Radt[a–b] (qui Latina nomina Graece scripta Latinis accentus

pro viribus excussis, singula nomina diligentissime restituere studui: etsi fatendum est in his rebus complura dubia manere.

Accidit praeterea haud raro, in opusculo Περὶ μακροβίων, ut unum idemque nomen proprium non una eademque semper scriptura prolatum in **P** offendamus[112]. quod cum evenit, varias scripturas ad unam plerumque formam redigunt editores, quasi ceterae scribendi rationes mera codicis vitia sint. at eiusmodi discrepantiae ipsis Phlegontis fontibus deberi possunt, nisi prorsus Tralliano nostro, quem suspicari licet in tam multis variisque nominibus e Latina scriptione (cf. appar.[1] ad *long.* **3–5**) convertendis sibi semper constare aut non curasse aut non valuisse. satius denique putavi tales codicis discrepantias non tangere.

Transeamus iam ad versus, h.e. ad oracula undique collecta, quibus Phlegonti omnia condire tam carum fuit (§ 1). haec non modo – ut exspectandum – per se obscura sunt, sed ad nos etiam valde depravata cum in **P** tum in **Zos**[V] pervenerunt: unde crebris medelis opus est. corruptissima Sibyllina in *mir.* 10 mire restituit Diels[113] eorum ipsa ratione – ut ita dicam – usus, h.e. acrostichide: ex qua lacunas detectas metitus est, totos versus refecit vel transposuit, singulorum oraculorum fines statuit… tali subsidio in ceteris oraculis deficiente, ad aliud convertendum fuit. ut iamdiu patet, «[d]ie meisten der in den Orakeln verwendeten Begriffe sind den homerischen Epen, seltener der lyrischen bzw. der Tragödiensprache entnommen, einige Junkturen sind homerischen nachgebildet»[114]. his perpensis, locos similes parallelosve multo magis quam editores

regulis, Wackernagel secutus, subigenda censet). multo antea, optime meruerat de tota re Dittenberger[a].

112 Cf. *long.* **15** Σέξτος / **51** et al. Σέξστος, **20** et al. Σπόριος / **29** Σπούριος, **22** et al. Κόϊντος / **45** et al. Κούιντος, **30** Σευῆρος / **97** Σεβῆρος, **63** Ἀλούκιος / **69** Ἀλούκκιος, **65** Δοκούριος / **69** Δοκκούριος; quoad urbes, **14** et al. Βελεία / **48** et al. Βελία / **31** Οὐελεία.

113 Cf. appar.[2] ad *mir.* **439–525** passim.

114 Gauger[a] 227 adn. 8.

priores conquirere atque excutere studui: horum enim locorum ope haud pauca apud Phlegontem vel emendare vel elucidare licet[115].

Quo ad ampliorem quaestionem perducimur. omnia apud Phlegontem aut abstrusa aut obscura sunt, et saepe utroque vitio afficiuntur. non itaque satis esse duxi ut textum pro viribus expolitissimum praeberem: levi quidem, sed firma manu lectori succurrendum erat in tam difficili auctore adeundo. ante omnia ergo apparatum criticum (= appar.²) loquaciorem solito instruendum censui, ut semper fere liqueret non modo qualem textum praebuissem, sed etiam quanam ratione aut ipse aut ceteri paradosin emendassemus, defendissemus, sollicitassemus. apparatui critico porro praeposui apparatum priorem (= appar.¹), qui cum fontes ac locos similes parallelosve contineret, tum auxilia quoque succincta – commentariolos, bibliographiam – ad textum aperiendum suppeditaret. hunc apparatum 'auxiliarium' vocaverim, quem lectori utilem fore confido.

* * *

Restat ut gratias agam iis, qui in hoc opere absolvendo mihi praesto fuerunt. haud facile dicam quanti mihi fuerint amicitia atque auxilium Claudii Consonni, Henrici Magnelli, Philippi Ronconi, Iosephi Russo: qui plura adhuc contulerunt – in coniecturis impertiendis, in locis similibus communicandis, in libris comparandis – quam ex huius libelli paginis identidem elucet. opem mihi praeterea variis modis tulerunt, qua sunt benignitate, Eugenius Amato, Nuntius Bianchi, Daniel Bianconi, Wolfgangus Blümel, Guilielmus Cavallo, Claudius De Stefani, Lucius Del Corso, Michael Kajava, Natalis Leccese, Iosephus Mastromarco, Alfredus M. Morelli, Petrus I. Parsons, Paschalis Maximus Pinto, Olavus Salomies, Claudius Schiano, Marina Silvestrini, Friderica Sissaz, Henricus Solin, Shannan Stewart. unusquisque horum me sibi pergratum scito. magistros praeclaros – Paulum Fedeli Barensem, Orontium Pecere Casinensem

115 Ut unum afferam exemplum, cf. *mir.* **201ss.** (cum Str.[b] 218–28). loci paralleli – etsi non e poetis sumpti – gravia menda praeterea detegunt, quae alioquin sine dubio latuissent, in versibus velut *long.* **181**, **186**.

– libentissime denique memoro: quorum alter in auctoribus edendis atque enarrandis, alter in textuum historia pervestiganda, splendido mihi exemplo fuit[116].

Scribebam Barii et Casini
mense Ianuario a. MMX A. S.

116 Libro confecto et iamiam prodituro, gravissima haec de ‘collectione philosophica’ impertivit mihi per litteras Philippus Ronconi: «In un contributo di prossima pubblicazione, dimostrerò che la cosiddetta ‘collezione filosofica’ è in realtà costituita da due gruppi distinti (ossia da tre gruppi, visto che, da vari decenni, all’interno della ‘collezione’ è stata individuata la cosiddetta ‘collezione aristotelica’, che costituisce senza dubbio un’unità preesistente). Tali due gruppi sono stati verosimilmente prodotti, a breve distanza di tempo (precisamente a cavallo – a quanto credo – del passaggio tra iconoclastia e iconodulia), entrambi a Costantinopoli e in ‘milieux’ culturalmente prossimi, eppure a mio avviso non identificabili. La dimostrazione riposerà su fattori codicologici (discrepanze nelle dimensioni assolute e nello specchio di scrittura, nonché nelle modalità di interazione dei copisti), paleografici (arrivo finalmente a spiegare la coesistenza, nella ‘collezione’, delle cosiddette ‘due varianti’ grafiche, l’una più squadrata, l’altra arrotondata) e contenutistici (un gruppo contiene Platone, i medio-platonici e i neo-platonici pagani, l’altro i cristiani platonizzanti)».

CONSPECTVS LIBRORVM ET COMMENTATIONVM[117]

I. EDITIONES

(a) Phlegontis opuscula *De rebus mirabilibus* et *De longaevis*

Xylander = G. Xylander [Wilhelm Holtzmann], *Antonini Liberalis Transformationum congeries. Phlegontis tralliani de Mirabilibus & longaevis Libellus…*, Basileae 1568 [69–105 Latina versio; 55–97 (paginarum numeris denuo inceptis) Graecus textus; 316–8 adnotationes]

Meursius = I. Meursius [Johannes van Meurs], *Phlegontis Tralliani, quae exstant, opuscula*, Lugduni Batavorum 1620; denuo impr. in J. Gronov (cur.), *Thesaurus Graecarum antiquitatum*, VIII, Lugduni Batavorum 1699 (= Venetiis 1735), 2691–736; et correctius in *Ioannis Meursii opera*, ex recensione I. Lamii, VII, Florentiae 1746, 77–122 (hinc paginae laudantur)

Franz = I.G.F.[=G.G.F.] Franz, *Phlegontis Tralliani opuscula*, Halae 1822[2] (1775[1])

Westermann = A. Westermann, Παραδοξογράφοι. *Scriptores rerum mirabilium Graeci*, Brunsvigae – Londini 1839 [117–42; 197–204]

Müller = C. Müller, *Fragmenta historicorum Graecorum*, III, Parisiis 1849 [608–24]; IV, Parisiis 1851 [*Addenda et corrigenda*: 669]

Keller = O. Keller, *Rerum naturalium scriptores Graeci minores*, I, Lipsiae 1877 [LVII–LXXIII; 57–93]

Jacoby = F. Jacoby, *Die Fragmente der griechischen Historiker*, II B, Berlin 1929 [*Text*: 1169–94]; II D, Berlin 1930 [*Kommentar*: 845–8]

Giannini = A. Giannini, *Paradoxographorum Graecorum reliquiae*, Milano [1966] [169–219] (nonnisi *mir.*)

117 Universa opera hic continentur, quae vel in praefatione vel in appar.[2] (solis compendiis utrobique semper usus) laudavi; insunt praeterea quae in appar.[1] plus semel commemoravi. accedunt nonnulla quibus magnopere fructus sum, etiamsi laudandi occasio in hoc libro defuit. [ ] inclusi paginas, e commentationibus librisve non solum Phlegontem tractantibus, ad eum spectantes.

Sissaz = F. Sissaz, *Il* Περὶ θαυμασίων *di Flegonte di Tralle*, tesi di laurea, Università degli Studi di Milano 1995–1996 (nonnisi *mir.*)

Brodersen = K. Brodersen, *Phlegon von Tralleis. Das Buch der Wunder*, Darmstadt 2002 (nonnisi *mir.*)

(a[1]) Phlegontis opuscula *De rebus mirabilibus* et *De longaevis* – Versiones cum commentario, sine Graeco textu

Blandi = S. Blandi, *Storici minori volgarizzati ed illustrati*, III, Milano 1829 [1–209 (paginarum numeris huius voluminis partis denuo inceptis)]

Gómez Espelosín = F.J. Gómez Espelosín, *Paradoxógrafos griegos. Rarezas y maravillas*, Madrid 1996 [165–95] (nonnisi *mir.*)

Hansen = W. Hansen, *Phlegon of Tralles' Book of Marvels*, Exeter 1996

Ferwerda = R. Ferwerda, *Phlegon van Tralles. Wonderbaarlijke verschijnselen – Mensen die lang hebben geleefd – Olympiaden*, Budel 2004 (*mir.*; *long*. 6)

(b) Oracula a Phlegonte tradita, seorsim edita

Alexandre = C. Alexandre, Χρησμοὶ Σιβυλλιακοί. *Oracula Sibyllina*, II, Parisiis 1856 [120–3; 234–53]

Hendess = R. Hendess, *Oracula Graeca quae apud scriptores Graecos Romanosque exstant*, Halis Saxonum 1877 [80–4; 102–3]

Cougny = E. Cougny, *Epigrammatum Anthologia Palatina cum Planudeis et appendice nova epigrammatum veterum ex libris et marmoribus*, III, Parisiis 1890 [482–3; 507–11; 527–8; 551–3; 559]

Diels = H. Diels, *Sibyllinische Blätter*, Berlin 1890

(c) Zosimi Historia nova (editiones ad textum oraculi saecularis constituendum enarrandumve adhibitae)

Leunclavius = I. Leunclavius [Johannes Loewenklau], *Zosimi comitis Historiae novae libri VI numquam hactenus editi*, Basileae 1576 (sola versio Latina)

Stephanus = H. Stephanus [Henri Estienne], Ἡρωδιανοῦ ἱστοριῶν βιβλία η′. *Herodiani histor. lib. VIII*, Genevae 1581 (Zosimus libro II tenus editur)

Sylburgius = F. Sylburgius [Friedrich Sylburg], *Romanae historiae scriptores Graeci minores*, Francofurdi [sic] 1590

Cellarius = C. Cellarius [Christoph Keller], Ζωσίμου Κόμητος καὶ Ἀποφισκοσυνηγόρου Ἱστορία Νέα. *Zosimi Comitis ex Advocato Fisci*

Historia Nova, Ex recensione F. Sylburgii, Cum Latina interpretatione I. Leunclavii, et notis variorum, Cizae 1679

Smith = Th. Smith, Ζωσίμου Κόμητος καὶ Ἀποφισκοσυνηγόρου Ἱστορίας Νέας Βίβλοι ἕξ. *Zosimi Comitis et Exadvocati Fisci Historiae Novae Libri Sex*, Oxonii 1679

Reitemeier = I.F.[=J.F.] Reitemeier, *Zosimi Historiae Graece et Latine… Ad calcem subiectae sunt animadversiones nonnullae C.G. Heynii*, Lipsiae 1784

Bekker = I. Bekker, *Zosimus*, Bonnae 1837 (*CSHB*)

Mendelssohn = L. Mendelssohn, *Zosimi comitis et exadvocati fisci Historia nova*, Lipsiae 1887

Paschoud = F. Paschoud, *Zosime. Histoire nouvelle*, I, Paris 2000[2] (1971[1])

(d) Aliae editiones praecipuae unius oraculi saecularis

Politianus = A. Politianus [Angelo Poliziano], *Miscellanea* 1, 58 (*Origo et ritus ludorum saecularium…*; 1489), in *Omnia opera*, Venetiis 1498, [407–14][118]

Opsopoeus = I. Opsopoeus [Johannes Koch], Σιβυλλιακοὶ Χρησμοί *hoc est Sibyllina Oracula*, Parisiis 1599 [420–5]

Taffin = P. Taffin, *De veterum Romanorum anno seculari* [sic], *eiusque potissimum per ludos seculares* [sic] *celebritate, eorumque chronologia*, Tornaci Nerviorum 1641; denuo impr. in J.G. Graeve (cur.), *Thesaurus antiquitatum Romanarum*, VIII, Lugduni Batavorum 1698 (= Venetiis 1735), 467–640 [485–7; cf. 476–8; 491; 517–43; 557; 562–3; 564] (hinc columnae laudantur)

Rappold = G.C. de[=von] Rappold, *De annis ludisque saecularibus veterum Romanorum commentatio*, Vinariae 1717 [32–42][119]

118 Paginarum numeros – qui in ed. orig. desunt – ex nova voluminis impressione 'digitali' q.d. (http://visualiseur.bnf.fr/CadresFenetre?O=NUMM-59298&M) sumpsi. profert Politianus oraculum saeculare, nullo spiritu accentuve adposito (utrosque ipse addidi, cum Politiani lectiones in apparatu critico adnotavi), profitens se textum e Zosimi «vetustissimis quidem codicibus» (p. [412]) descripsisse, h.e. e praestantissimo ms. Vatic. Gr. 156 (vd. praef. XXIX). Graecum oraculi textum ditavit Politianus eleganti versione Latina, quam denuo seorsim edd. notisque instrux. I. del Lungo, *Prose volgari inedite – Poesie latine e greche edite e inedite di Angelo Ambrogini Poliziano*, Firenze 1867, 539–41, G.B. Pighi, *La poesia religiosa romana*, Bologna 1958, 170–3.

Mitscherlich = C.G.[=C.W.] Mitscherlich, *Q. Horatii Flacci Opera*, I–II, Lipsiae 1800 [II 643–52]

Kiessling = A. Kiessling, *Horatius Flaccus*, I (*Oden und Epoden*), Berlin 1884 [280–2]

Basiner = O. Basiner, Ludi saeculares. *Drevnerimskija sekuliarnyja igry*, Varšava 1901 [X–XIX; cf. 220–33]

Pighi = I.B.[=G.B.] Pighi, *De ludis saecularibus populi Romani Quiritium libri sex*, Amsterdam 1965² [56–8; 366; 410]

II. LIBRI ET COMMENTATIONES AD PHLEGONTEM PERTINENTES[120]

Aiello = O. Aiello, *Sulle tracce di Philinnion* (*Flegonte di Tralles*, mir. *2.1*), Sileno 35, 2009, 169–86

Allély = A. Allély, *Les enfants malformés et considérés comme* prodigia *à Rome et en Italie sous la République*, REA 105, 2003, 127–56 [passim]

Aretini = P. Aretini, *I fantasmi degli antichi tra Riforma e Controriforma. Il soprannaturale greco-latino nella trattatistica teologica del Cinquecento*, Bari 2000 [138–49]

Bast[a] = F.I.[=F.J.] Bast, *Epistola critica ad virum clarissimum I.F. Boissonade super Antonino Liberali, Parthenio et Aristaeneto… e lingua Gallica in Latinam versa a C.A. Wiedeburg*, Lipsiae 1809 (= *Lettre critique de F.J. Bast… à Mr. J.F. Boissonade sur Antoninus Liberalis, Parthenius et Aristénète*, Paris 1805) [59–71; 125–6; 278–9]

Bast[b] = F.I.[=F.J.] Bast, *Commentatio palaeographica*, in G.H. Schaefer, *Gregorii Corinthii et aliorum grammaticorum libri de dialectis linguae Graecae*, Lipsiae 1811, 701–861 [855–61; passim]

Beagon = M. Beagon, *The Elder Pliny on the Human Animal. Natural History, Book 7*, Oxford 2005 [passim]

119 Huius opusculi coniecturas falso tribuit «Gesnero» Mitscherlich (unde posteri omnes), eo scil. in errorem ductus, quod Rappold commentationem suam «praeside Io. Matthia Gesnero Gymn. Wilhelmo-Ernestini conrectore» proponebat.

120 Comprehenduntur hoc loco etiam quae ad codicem **P** et ad ‘collectionem philosophicam’ q.d. in universum spectant, necnon commentationes Zosimum tractantes (cf. supra, **I.d**).

Bergk = Th. Bergk, *Lucian und Phlegon* περὶ μακροβίων, Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft n.F. 7, 1849, 11–24

Bertolotto = G. Bertolotto, *Sulla cronologia e autenticità dei* Macrobii *attribuiti a Luciano*, RFIC 14, 1886, 225–82 [255–67; 278–80]

Billanovich = G. Billanovich, *Dal Livio di Raterio (Laur. 63, 19) al Livio del Petrarca (B. M., Harl. 2493)*, IMU 2, 1959, 103–78 + tabb. [111]; denuo impr. in Itinera. *Vicende di libri e di testi*, I, Roma 2004, 103–75 + tabb. [110–1] (hinc paginae laudantur)

Boissonade = I.F.[=J.F.] Boissonade, *Aeneas Gazaeus et Zacharias Mitylenaeus. De immortalitate animae et mundi consummatione*, Parisiis 1836 [159 adn. 5]

Bompaire = J. Bompaire, *Lucien. Oeuvres*, II, Paris 1998 [18–9]

Braunert = H. Braunert, *Der römische Provinzialzensus und der Schätzungsbericht des Lukas-Evangeliums*, Historia 6, 1957, 192–214 [203–4]

Breglia[a] = L. Breglia Pulci Doria, *Oracoli sibillini tra rituali e propaganda (Studi su Flegonte di Tralles)*, Napoli 1983

Breglia[b] = L. Breglia Pulci Doria, *Libri sibyllini e dominio di Roma*, in Chirassi Colombo – Seppilli (curr.), 277–304 [passim]

Brind'Amour = P. Brind'Amour, *L'origine des Jeux Séculaires*, ANRW II 16.2 (1978), 1334–1417 [passim]

Brinkmann = A. Brinkmann, *Lückenbüsser*, RhM 64, 1909, 479–80

Brisson[a] = L. Brisson, *Le mythe de Tirésias*, Leiden 1976 [12–3; 135]

Brisson[b] = L. Brisson, *Aspects politiques de la bisexualité. L'histoire de Polycrite*, in *Hommages à M.J. Vermaseren*, I, Leiden 1978, 80–122

Brisson[c] = L. Brisson, *Le sexe incertain. Androgynie et hermaphrodisme dans l'Antiquité gréco-romaine*, Paris 1997 [13–39; 134–44]

Brunt = P.A. Brunt, *The Revenues of Rome*, JRS 71, 1981, 161–72 [163; 164; 171–2]; denuo impr. cum addendis in *Roman Imperial Themes*, Oxford 1990, 324–46; 531–40 [330; 331; 345–6] (hinc paginae laudantur)

Buecheler = F. Buecheler, *De bucolicorum Graecorum aliquot carminibus*, RhM 30, 1875, 33–61 [44]; denuo impr. in *Kleine Schriften*, II, Leipzig – Berlin 1927, 98–121 [107] (hinc paginae laudantur)

Calderón Dorda[a] = E. Calderón Dorda, *El problema del manuscrito único: a propósito de Partenio de Nicea y el cod. Palatinus gr. 398*, Myrtia 1, 1986, 93–105

Calderón Dorda[b] = E. Calderón Dorda, *Partenio de Nicea. Sufrimientos de amor y Fragmentos*, Madrid 1988 [XXX–XLII]

Cataldi Palau = A. Cataldi Palau, *Un nuovo codice della 'collezione filosofica': il palinsesto* Parisinus graecus *2575*, Scriptorium 55, 2001, 249–74 + tabb.

Cavallo = G. Cavallo, *Da Alessandria a Costantinopoli? Qualche riflessione sulla 'collezione filosofica'*, S&T 3, 2005, 249–63 (hinc paginae laudantur); brevior redactio: *Qualche riflessione sulla 'collezione filosofica'*, in D'Ancona (cur.) 155–65

Chirassi Colombo – Seppilli (curr.) = I. Chirassi Colombo – T. Seppilli (curr.), *Sibille e linguaggi oracolari. Mito Storia Tradizione*, Pisa – Roma 1999

Christesen = P. Christesen, *Olympic Victor Lists and Ancient Greek History*, Cambridge et al. 2007 [326–34; 520–3; passim]

Coarelli = F. Coarelli, *Il Campo Marzio*, I (*Dalle origini alla fine della repubblica*), Roma 1997 [passim]

Cobet = C.G. Cobet, *Variae Lectiones*, Mnemosyne 6, 1857, 1–56 [9–11]; denuo impr. in *Novae Lectiones*, Lugduni Batavorum 1858, 265–320 [273–5] (hinc paginae laudantur)

Collart = P. Collart, *Philippes, ville de Macédoine*, Paris 1937 [297]

Consonni = C. Consonni, per litteras

Crawford = M. Crawford, Mirabilia *and Personal Names*, PBA 104, 2000, 145–8 [146–8]

Creuzer = F. Creuzer, censura editionis Westermannianae (cf. **I.a**), in *Zur Geschichte der griechischen und römischen Literatur. Abhandlungen*, Leipzig – Darmstadt 1847, 277–301 + addenda et corrigenda (sine pag. num.) ad calcem voluminis [290–1; 294–301]

Cuntz = O. Cuntz, *De Augusto Plinii geographicorum auctore*, diss. Bonnae 1888 [46–8]

Curchin = L.A. Curchin, Aetates mortuorum: *études quantitatives sur les âges des défunts en Lusitanie*, Conimbriga 39, 2000, 275–84 [277]

D'Ancona (cur.) = C. D'Ancona (cur.), *The Libraries of the Neoplatonists*, Leiden – Boston 2007

Delattre-Delattre = J. Delattre-Biencourt – D. Delattre, *Le recours au* mirabilia *dans les polémiques logiques du Portique et du Jardin (Philodème,* De signis, *col. 1–2)*, in O. Bianchi – O. Thévenaz (curr.), Mirabilia – *Conceptions et représentations de l'extraordinaire dans le monde antique*, Bern et al. 2004, 221–37 [225–8]

De Stefani = C. De Stefani, per litteras

Diller[a] = A. Diller, *The Tradition of the Minor Greek Geographers*, Lancaster (Penns.) – Oxford 1952 [3–10]

Diller[b] = A. Diller, *The Scholia on Strabo*, Traditio 10, 1954, 29–50 [31–3; passim]; denuo impr. in *Studies in Greek Manuscript Tradition*, Amsterdam 1983, 23–44 [25–7; passim] (hinc paginae laudantur)
Dittenberger[a] = W. Dittenberger, *Römische Namen in griechischen Inschriften und Literaturwerken*, Hermes 6, 1872, 129–55 [passim]
Dittenberger[b] = W. Dittenberger, *Zu den attischen Ephebeninschriften*, Hermes 12, 1877, 1–22 [2–3 adn. 2]
Donati = A. Donati, *Contributo alla demografia di Bologna romana: i dati biometrici*, Il Carrobbio 4, 1978, 177–84 [182–3]
Dorandi[a] = T. Dorandi, *Accessioni a Antigono di Caristo*, SCO 51, 2005, 119–24 [121–4]
Dorandi[b] = T. Dorandi, *Il* Περὶ παροιμιῶν *di Clearco di Soli: contributi a una raccolta dei frammenti*, Eikasmos 17, 2006, 157–70 [162–7]
Eberhard = A. Eberhard, censura editionis Kellerianae (cf. **I.a**), Jenaer Literaturzeitung 5, 1878, 643–5 [645]
Emperius = A. Emperius, censura editionis Westermannianae (cf. **I.a**), Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 6, 1839, 1139–49 [1143–8]; denuo impr. in *Opuscula philologica et historica*, Gottingae 1847, 226–36 [231–4] (hinc paginae laudantur)
Erdas = D. Erdas, *Cratero il Macedone. Testimonianze e frammenti*, Tivoli 2002 [2–3]
Fabricius = I.A.[=J.A.] Fabricius [– G.C. Harles], *Bibliotheca Graeca*, V, Hamburgi 1796[3] [255–60]
Fein = S. Fein, *Die Beziehungen der Kaiser Trajan und Hadrian zu den* litterati, Stuttgart – Leipzig 1994 [193–9]
Ferrary = J.-L. Ferrary, *Philhellénisme et impérialisme. Aspects idéologiques de la conquête romaine du monde hellénistique, de la seconde guerre de Macédoine à la guerre contre Mithridate*, Rome 1988 [238–64]
Fischetti = G. Fischetti, *Giacomo Leopardi ovvero della filologia formale*, in G. F., *Filologia e presenza dell'antico*, Roma 1986, 295–323 [307–8; 312]
Fontanille = M.-Th. Fontanille, *Vieillir à Rome. Approche démographique*, Bruxelles 2004 [13–33]
Fontenrose = J. Fontenrose, *The Delphic Oracle*, Berkeley et al. 1978 [passim]
Forcina = A.M. Forcina, *Lettori bizantini di Zosimo. Le note marginali del cod. Vat. gr. 156*, Milano 1987
Frisk = H. Frisk, *Le Périple de la mer Érythrée*, Göteborg 1927 [26–36; passim]
Gallaeus = S. Gallaeus [Servaas Galle], *Dissertationes de Sibyllis earumque oraculis*, Amstelodami 1688 [117–21]

García Teijeiro = M. García Teijeiro, *El cuento de miedo en la antigüedad clásica*, Mene 1, 2001, 61–90 [71–3]

Gauger[a] = J.-D. Gauger, *Phlegon von Tralleis, mirab. III. Zu einem Dokument geistigen Widerstandes gegen Rom*, Chiron 10, 1980, 225–61

Gauger[b] = J.-D. Gauger, *Orakel und Brief: Zu zwei hellenistischen Formen geistiger Auseinandersetzung mit Rom*, in *Rom und der Griechische Osten. Festschrift für H.H. Schmitt zum 65. Geburtstag*, Stuttgart 1995, 51–67 [54–61]

Gauger[c] = J.-D. Gauger, *Sibyllinische Weissagungen. Griechisch-deutsch*, auf der Grundlage der Ausgabe von A. Kurfeß, Düsseldorf – Zürich 1998 [383–8; 418–23]

Giannini[a] = A. Giannini, *Studi sulla paradossografia greca II. Da Callimaco all'età imperiale: la letteratura paradossografica*, Acme 17, 1964, 99–140 [129–30]

Graf = F. Graf, *Nordionische Kulte*, Rom 1985 [339–45]

Guittard = Ch. Guittard, *Le témoignage de Phlégon de Tralles*, in Aa. Vv., *Les écrivains du deuxième siècle et l'*Etrusca disciplina, Tours 1996, 123–33

Hanslik = R. Hanslik, *RE* XVII.1, 1936, 712–3, s.v. Νισαῖον πεδίον

Hemsterhuys = T. Hemsterhuys, *Notae et emendationes ad Xenophontem Ephesium. Lib. I*, in Aa. Vv., *Miscellaneae observationes in auctores veteres et recentiores*, III.3, Amstelaedami 1733, 402–22 [418–9]

Hercher = R. Hercher, *Zu griechischen Prosaikern*, Hermes 11, 1876, 355–69 [362–6; 367–9]

Hieronymus (cur.) = F. Hieronymus (cur.), Ἐν Βασιλείᾳ πόλει τῆς Γερμανίας. *Griechischer Geist aus Basler Pressen*, Basel 1992 [appendix II, 5–8]

Hömke = N. Hömke, *Gesetzt den Fall, ein Geist erscheint. Komposition und Motivik der ps-quintilianischen* Declamationes maiores *X, XIV und XV*, Heidelberg 2002 [242–6]

Holleaux = M. Holleaux, *Sur un passage de Phlégon de Tralles*, RPh s. III 4, 1930, 305–9; denuo impr. in *Études d'épigraphie et d'histoire grecques*, V.2, Paris 1957, 244–8 (hinc paginae laudantur)

Ibáñez Chacón[a] = Á. Ibáñez Chacón, *Eros en la tumba: prácticas necrófilas de Homero a Nono de Panópolis*, in R. Sánchez García (cur.), *Un título para Eros. Erotismo, sensualidad y sexualidad en la literatura*, Granada 2005, 71–137 [122–8]

Ibáñez Chacón[b] = Á. Ibáñez Chacón, *La obra paradoxográfica de Damascio (*apud *Phot.* Bibl. *cod. 130)*, CFC(G) 18, 2008, 319–34 [327–9]

Janda = J. Janda, *D'Antisthène, auteur des* Successions des philosophes, LF 89, 1966, 341–64
Kajava[a] = M. Kajava, per litteras
Kiessling[a] = A. Kiessling, *Zu Zosimus*, RhM 18, 1863, 135–6
Klausen = R.H. Klausen, *Aeneas und die Penaten. Die italischen Volksreligionen unter dem Einfluß der griechischen*, I, Hamburg – Gotha 1839 [267–8]
Klein[a] = J. Klein, *Epigraphisch-antiquarische Streifzüge*, BJ 58, 1876, 57–89 [83 adn. 1]
Klein[b] = J. Klein, *Epigraphisch-antiquarische Analekten*, RhM 33, 1878, 128–37 [132–7]
Kunzmann = W. Kunzmann, *Quaestiones de Pseudo-Luciani libelli qui est de longaevis fontibus atque auctoritate*, diss. Lipsiae 1908 [7–8; 9; 45–6]
Laffi = U. Laffi, *Colonie e municipi nello stato romano*, Roma 2007 [111]
Leopardi = G. Leopardi, *Note ai Taumasiografi greci* [circ. 1825–1829], in *Scritti filologici (1817–1832)*, curr. G. Pacella – S. Timpanaro, Firenze 1969, 567–601 [passim]
Levison = W. Levison, *Die Beurkundung des Civilstandes im Altertum*, BJ 102, 1898, 5–82 [7–8; 81]
Lightfoot[a] = J.L. Lightfoot, *Parthenius of Nicaea*, Oxford 1999 [225–6; 303–5]
Lightfoot[b] = J.L. Lightfoot, *The Sibylline Oracles*, Oxford 2007 [passim]
Lincoln = B. Lincoln, *La morte della Sibilla e le origini mitiche delle pratiche divinatorie*, in Chirassi Colombo – Seppilli (curr.), 209–23 [214–21]
Loreto = L. Loreto, *L'immagine dello stato romano nell'Oriente ellenistico nell'età delle profezie (III e II sec. a.C.)*, in Chirassi Colombo – Seppilli (curr.), 443–86 [470–7]
Lucarini = C.M. Lucarini, *Note critiche ai* Paradoxographi Graeci, BollClass s. III 24 (2003), 87–92 [89–90]
Ludwich[a] = A. Ludwich, *Zu Phlegon Mirab. c. 3*, RhM 41, 1886, 627–8
Ludwich[b] = A. Ludwich, *Animadversiones criticae in Phlegontis oracula Sibyllina*, index lectionum in Regia Academia Albertina per hiemem anni MDCCCLXXXX–LXXXXI a die XV m. Octobris habendarum, Regimontii 1890, 46–52
Lumb = Th.W. Lumb, *Notes on the Greek Anthology*, London 1920 [142–8]
Maass = E. Maass, *Thalamos und Gamos*, RhM 77, 1928, 1–20 [7 adn. 1]
MacBain = B. MacBain, *Prodigy and Expiation: a Study in Religion and Politics in Republican Rome*, Bruxelles 1982 [129–31; 133–5]
Magnelli[a] = E. Magnelli, per litteras

Magnelli[b] = E. Magnelli, *Su un passo di Flegonte di Tralle*, RhM 148, 2005, 409–13
Marcotte[a] = D. Marcotte, *Les géographes grecs*, I, Paris 2000 [LXXXVIII–C; C–CLXIV passim]
Marcotte[b] = D. Marcotte, *Le Corpus géographique de Heidelberg (*Palat. Heidelb. gr. *398) et les origines de la 'collection philosophique'*, in D'Ancona (cur.) 167–75
Marini = G. Marini, *Gli atti e monumenti de' fratelli Arvali*, I–II, Roma 1795 [I 222]
Martelli = F. Martelli, *Ancora in margine ad un frammento di Antistene*, RSA 12, 1982, 251–60
Martini = [P. Sakolowski –] E. Martini, *Mythographi Graeci*, II.1, Lipsiae 1896 [XL–LXVI]
Mayor = A. Mayor, *The First Fossil Hunters. Paleontology in Greek and Roman Times*, Princeton – Oxford 2000 [145–54; 239–40; passim]
Mazza = M. Mazza, *Il vero e l'immaginato. Profezia, narrativa e storiografia nel mondo romano*, Roma 1999 [64–7; 217–9]
Meier = M. Meier, *Funktionen und Bedeutung antiker Gruselgeschichten*, Gymnasium 110, 2003, 237–58 [245–9]
Meineke = A. Meineke, *Kritische Blätter*, Philologus 14 (1859), 1–44 [13–4; 22–5; 27–8]
